

VICTORES IN CERTAMINE LITTERARIO

DIE NATALI REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IV.

IDIBVS OCTOBRIBVS A. MDCCCXLVIIII. PRAEMIIS ORNATOS

RENVNCIAT NOVASQVE IN ANNUM SEQVENTEM QVAESTIONES

CERTAMINIS CAVSA POSITAS PROMVLGAT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATAE PRORECTOR

MAVRITIVS HERMANNVS EDVARDVS MEIER

CVM SENATV.

PRAEMISSA SVNT

GODOFREDI BERNHARDY

ANALECTA

IN GEOGRAPHOS GRAECORVM MINORES.

HALIS

FORMIS HENDELIANIS

A. MDCCCL.

Expectatione celerius accidit ut vices edendi libelli per necessitates academicas ad me delaberentur. Etenim quod opportunitas illa scribendi plerisque grata videri solet, ut vacui nunc quaestiones intermissas vel negligentius habitas retexant, nunc subsecivas studiorum partes tanquam laetas digressiones exornent geniumque suum oblectent, denique errores corrigendo passim inveteratos sanam restituant doctrinam: id ab mea voluntate prorsus alienum est, nec potest cummaxime quicquam fingi magis adversum et iniquum. Quippe animus operosissimis laboribus fessus et districtus, quorum alios ad exitum adducere cogor diu iactatos, alios retractare curis secundis, neque novis inhiat occupationibus, quando ab veteribus discedere non licet, nec studiorum varietatem ex miscellis copiis anquirit, cum praesertim operum susceptorum ipsa natura diffusa sit eaque condicio, ut per disquisitiones perpetuas alias ex aliis serendas ea subnascantur et quaestionum series in molem succrescat infinitam. Itaque dudum invitus in deverticulis litterarum et parergis versari soleo, quorum suavitatem magis aspernari debeo quam oblatam fovere; nec mirer siquis in istas rationes argutam Agathonis vocem accommodet:

τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Dum igitur circumspicio, quod argumentum cum minimo temporis dispendio possim delibare, primum in oculos incurrunt scriptores olim initiis studiorum meorum inchoati, dudum vero manibus elapsi et placida quiete reposti, Geographos dico Graecorum minores. De quibus ut adducar quaedam utiliter in medium proferri posse, complures valent causae. Scilicet parum adhuc cautum videtur ut collectioni Geo-

graphorum, quam multi tentarunt, nemo perfecit, iustum statuatur pretium eaque suis finibus circumscribatur. Non enim miror scriptores illos a paucis tritos plerumque in maius celebrari et ultra veri fidem extolli tanquam instrumentum reconditae doctrinae. Deinde nuper extitit vir diligentissimus Fabricius, qui rara constantia vitam his Geographis impendere statuit. Interim praelusit operi, quod nollem, minutatim singulis libellis singulos quosdam Geographos spargens*): nam paucorum oculos istae advertunt pagellae nec totius negotii nisi levem gustum praebent. Is cum apparatum afferre videatur mediocrem, huius conatus laudabiles par est omni modo iuvare. Sequitur tertia causa: quae quamquam ad meam potius personam quam ad litterarum emolumenta pertinet, non tamen improbabunt, opinor, qui sortem et iniqua fata studiorum honestissimorum suo usu cognoverint. Scilicet postquam Dionysium Periegeten evulgaram, compendiarium illum artis magistrum, sed qui commentariorum et interpretationum abundantia reliquos obruerit, refrixit ardor redemptoris: itaque ut fit Musarum Graecarum suavitate captus ad laetiora litterarum spatia digressus sum, nec unquam illuc animos rettuli, nedum ut liberet operosissimam Geographorum partem a perpaucis lustratam ingratis et frustra peragrare. Nec fuit posthac cur consilium mutarem, quamvis etiam ab exteris hominibus de hoc negotio compellatus. Nunc vero cum copiolae quaedam in scriniis haeserint aliis profuturae, ipse temporis articulus admonet ut spem longam reiiciamus et, si cum Varrone dicere licet, sarcinas colligamus. Itaque haec variarum lectionum silva, quoniam ex codicibus fluxit neque vetustis nec satis emendatis, futilia suppeditabit ac leviora, mixtis subinde probis scripturis. Quamquam non sine taedio laboris improbi hunc egi delectum, ut minuta et perversa silentio praetermitterentur.

*) Prodierunt enim Scymni Chii quae supersunt Bresd. 1846. Scylacis Periplus 1848. Isidori Char. Stathmos Parthicos rec. 1849. Arriani Periplus M. E. rec. 1849.

Caput I.

Verumtamen a praefationibus ad ipsam rem, hoc est, ad Geographos Graecos minores praevertamur. Quem titulum cum usurpamus, facile de corpore quodam legitimo et collectione certis argumentis et finibus inclusa cogitamus. Sed ante Io. Hudsonum, qui temere post L. Holstenium finxit istam inscriptionem, non ferebantur Geographi minoris voluminis communi appellatione iuncti. Casus enim seu bona fortuna tulit ut libelli complures geographici singulis codicibus servarentur; eosque nacti homines docti typis propagarunt, ultra nihil rimantes nisi ut grandibus huius disciplinae magistris Straboni et Ptolemaeo comites vel supplementa quaedam pararent. Primus igitur Sigismundus Gelenius Arriani et Hannonis Periplos, Plutarchum de fluminibus et Strabonis Epitomen Basil. a. 1533. prodidit, usus MS. Palatino, quem in Bibl. Vaticanam delatum, postea Parisios avectum, hinc sedi Heidelbergensi redditum Bastius Epist. Crit. diligenter descripsit. Is codex, omnium qui Geographos minores continent et antiquissimus et ab artifice perito exaratus, unus opuscula variae doctrinae conservavit: quippe cuius beneficio Peripli haud poenitendi, scriptores mythologiae sive rerum mirabilium docti, rhetores epistolarum auctores aetatem tulerint. Gelenium excepit David Hoeschelius, Bibliothecae Augustanae praefectus, qui libellos tres sub nomine Marciani Heracleotae (hoc est, Scymnum, Marciani Periplum, Epitomen Artemidori), Scylacem, Dicaearchi fragmenta, Isidori Mansiones Parthicas Augustae Vindel. a. 1600. emisit. Rarissimam editionem non inspexit Letronnius, cui Hoeschelius videbatur Dicaearchum nescisse ab H. Stephano a. 1589. prolatum; repugnant enim illius annotationes quamvis rarae p. 201. sqq. Recte tamen Letronnius *Fragmens d. poëmes géogr.* p. 18. sqq. suspicatur Dicaearchi particulas ad Stephanum perlatas uni Pithoeano codici deberi. Fontes suos Hoeschelius breviter indicat in folio

tituli averso: Marcianum e codd. Palatino et Casauboni (qui nullus fuit), reliquos ex eodem Pal. vel ex Herwarti (sive Hervuorti) MSS. esse ductos. Atqui Palatinus sive Romanus et Herwartianus, qui hodie Monacensis est, nihil nisi apographa sunt praestantioris libri Pithoeani Saec. XIII. Pithoeus autem ex quo cum Scaligero et Casaubono eum communicarat, codex ille delituit nulli criticorum visus, donec duobus saeculis post in lucem protractus thesauros Bibliothecae olim Regiae Parisinae nobilitavit. Nec diu fuit cum vir diligentissimus E. Millerus (Périple de Marcien d'Heraclée Épitome d'Artémidore Isidore de Charax etc. ou Supplément aux dernières éditions des petits Géographes d'après un Manuscrit Grec de la Bibl. Roy. Paris 1839.) novas copias in usum publicum vertit, ita tamen ut Artemidori Isidorique novam instrueret editionem, in reliquis geographis satis haberet diversitatem scripturae enotasse.

Iam optimis Geographorum minorum partibus (etenim quos hactenus nominavimus, flos et robur sunt corporis totius) paulatim vulgatis, extitit qui copiosissimum Geographorum Graecorum Syntagma meditaretur, Lucas Holstenius, a Phil. Cluverio per itinerum opportunitates ad geographiae studia quasi deductus eorumque promovendorum cupiditate singulari incensus. De cuius consiliis quoniam satis in Praef. Dionysii Perieg. p. V—VIII. dictum, hoc loco paucis defungemur. Is strenue bibliothecas Britanniae Galliaeque perscrutatus, advocatis etiam amicorum auxiliis, uberrimum rei bene gerendae instrumentum sub a. 1624. conquirere coepit. Sed paulo post rationibus vitae mutatis et ad aulam pontificiam traductus maluit in litteris ecclesiasticis habitare, quibus diversissima doctrina genera, ut erat homo natura mobilis et polymathiae appetens, libera lege miscebat. Quamobrem nemo miretur ab eo pleraque geographiae profanae monumenta, quamvis pauca tantum ad iustam editionem superesse narret, adeo leviter inchoata fuisse, ut quae typis edita sint, ex laboribus postumis omnia prodierint, partim summis lineis comprehensa. Velut non obscurae sunt Notae et Castigationes in Stephanum

Byzantium, eruditione haud vulgari refertae; itemque notae quas de Dionysio commentatus erat; porro Hieroclis Synecdemus, quem Schelstratenus protraxit; minus notae lucubrationes in Dicaearchum et Hannonem cum notulis in ceteros geographos ineditis, quas cura G. Manzi Romae 1819. collegit. Holstenius igitur tripartitum geographorum Syntagma delineavit, cuius primam partem addita Dionysii Periegesi inscribebat Geographos Graecos minores, tertiam vero Geographiam sacram; medios interponebat scriptores de urbe et antiquitatibus Constantinopolitanis. Porro, ne quid deesset, etiam auctores rerum physicarum et mirabilium additurus erat. Totius operis longo, ut ait, et aerumnabili labore concinnati designationem duae potissimum epistolae adumbrant ad Meursium et Peirescium missae, in ed. Boissonadi 3. et 10. adde p. 211. sq. Profecto laudamus intelligentiam Holstenii, qui doctam vetustae geographiae cognitionem monumentis esse plurimis fultam perspexerit eamque multiplici supellectile, praesertim topographica, iuvandam; idemque primus Anonymi Periegesin ab Marciani Periplo seiunxit, eruditos ad Agathemerum tum ineditum ac Dionysii Byzantini Anaplum, cuius praestantia hodie solis in Gyllii libris de Bosporo Thracio agnoscitur, indagandos convertit, Scymni versus minoribus fragmentis, quae ex oratione pedestri duorum Periplorum eruerat, utcunque locupletavit, nec facile rectum iudicium in homine subactissimo desideres, qui Agathemerum diversis ex libellis male conflatum viderit et metricas Dicaearchi partes ad illustrem Peripateticum nihil pertinere. Quo magis aegre ferendum quod nimia molitus, quibus unius vires haud sufficiant, Holstenius in ipsis initiis defecit.

Hinc suppleverunt geographos et Tennulius, qui Agathemerum a. 1671. parum scienter in lucem protraxit, et Iac. Gronovius, homo huic litterarum generi parum aptus, qui eundem scriptorem cum Periplis Anonymorum, item Scylacem et Expositionem totius mundi Gothofredianam, praeeunte Is. Vossio, publici iuris fecit a. 1697. Idem sua Geographica antiqua renovavit a. 1700. titulo mutato, sed subiuncta

disceptatione satis acerba, qua de Hudsoni furtis conquestus praecipue Dodwelli dissertationem de Scylacis aetate refutat. Etenim Io. Hudsonus inde ab a. 1698. plenum corpus parare coepit, invitus ille et laborem cum taedio peractum vociferans, neque novis subsidiis adiutus ullis, sed qui apparatum qualemcunque ut solet sine ingenii doctrinaeque laude coacervasse satis haberet. Commentarios igitur dudum excusos decerpsit eosque dissertationibus H. Dodwelli oneravit, quas mirifice perversas et aridas vanisque acuminibus differtas omnes ita reformidant, neminem ut lectorem hodie alliciant. Ceterum Oxonienses Geographiae veteris scriptores Graeci minores, quorum Vol. I. Periplos, II. chorographiae vel topographiae documenta continet, IV. Dionysium Periegeten cum comitibus suis, certam designationem adeo non sequuntur, ut Vol. III. quod reliquis rarius est tanquam ad complendam libri iustam mensuram etiam variae lectiones in Anonymum Ravennatem et opuscula Ptolemaei diversa una cum Arabicis Abulfedae subiicerentur. Novi quidem nihil inest praeter unum Dicaearchi fragmentum. Interim Hudsonus commoda editione libros haud obvios complexus de studiis humanitatis bene mereri visus est; quamquam paucis ille profuit, siquidem raritas exemplorum, quae insano pretio redimi solebant nec publicas bibliothecas nisi ditissimas adierunt, plerosque privatos deterruit. Nec desideriis hominum doctorum satisfecit duplex repetitio, altera per Graecum quendam negligenter et inficeto habitu procurata (Vindob. 1807. II. Voll.), quae in usum Graecorum facta per Germaniam paucis visa est, posterior ab I. F. Gailio nimiam in molem diducta, cuius tres Tomi (1826—31.) vix dimidiam Oxoniensis opificii partem exhibeant. Praeter quos fuerunt viri elegantis doctrinae, qui geographos Hudsonianos correctos cum auctario sibi sumerent instaurandos; sed iniquum fatum omnium conatus intercepit. Horum unus mentione dignus est Bredovius, qui cum a. 1807. Parisiis per aliquot menses naviter subsidia conquisivisset, redux factus in Epistolis Parisiensibus consilia sua de geographis renovandis itemque spe-

cimina nonnulla codicum ab se comparatorum exposuit. Potuit sane luculentioribus uti: delegit enim, quae minimi sunt usus, Plethonis Excerpta e Strabone codd. Parisinis reficta vel aucta, p. 69—98. Verum ille neque rationes totius operis ab notionibus obscuris abduxerat, nec mediocrem apparatum laboravit bibliothecarum e forulis locupletare: quo minus miror ab eo posteris annis totum negotium silentio fuisse transactum.

Haetenus summis lineis vices et incrementa Geographorum minorum perstrinximus: unde si nihil aliud colligimus, at certe nobis persuademus, quae quis in historia philologiae hospes incredibilia dixerit, primum, hanc scriptorum affinium compagem temere fuisse concinnatam et editorum arbitratu, non ut lex probabilis et norma deligendis in libris valeret; deinde, ne nunc quidem perfectam esse collectionem, modicis voluminibus comprehensam neque mole commentariorum obrutam, quae communem in usum tum antiquitatis tum geographicae disciplinae studiosis pateat, sed thesauros istos a plerorumque fortunis remotos in bibliothecis latitare. Sed adiungamus tertiam etiam observationem. Nempe perexigua sunt codicum auxilia, nec licebit ultra quicquam sperare, quo libellos istos nunc laceros et discerptos nunc mendis et vetusta corruptela foedos redintegremus. Apparet enim tres ceterorum esse fontes, Palatinum, Pithoeanum et eum, qui variis sub titulis (Codicum Chifleti, Vindobonensis, Regii, Leidensis, Taurinensis) omnigenas partes Agathemeri complectitur. Itaque prudens criticus satis habebit breviter veram et primitivam MSS. scripturam, missis plerisque veterum editionum lectionibus an erroribus, enotasse, ac pro diversa librorum condicione, quorum nonnulli (velut prior Periplus Arriani) rarius labem traxerunt, criticam coniecturalem finibus compescet artioribus. In quo genere praeclara sagacitatis specimina proposuerunt duumviri, qui certatim Scymni Chii fractas tabulas resarciendas sibi sumpserant, Letronnius et, cui diva critica saepius aspiravit, Meinekius nostras: adeo ut nullus coniector solo pulchri sensu

et litterarum Graecorum usu fretus plus proficere queat*). Idem fere cadit in Dicaearchi reliquias, quas emendatiores ope codicum Parisinorum, additis criticorum suspicionibus, in plenissimum Historicorum Graecorum corpus (v. Vol. II.) nuper recepit C. Müllerus. Itaque criticum munus in parte Geographorum longe minoris est molis, quam in collecticiis auctoribus usu venit. Contra maius spatium concedendum est interpretationi, modo hanc legem sequamur, ne per ostentationem quae propria sint commentariis uberrimis de populis ac regionibus antiquis coacerven-

*) Eluserunt sane utrosque pusillae maculae vel lenior sanandi ratio, qualia minus hodie fugiant in puriore textu versantes: nam ut recte vir eximius, philologis passim accidit ut in maioribus occupati ne ea quidem cernant quae ante pedes posita sint. Paucis utar exemplis Scymni. V. 90. *ἁπλῶς θ' ἁπάντων ὁρικῶς διέξοδον Καὶ τὴν ὅλην περίοδον ἐν ὀλίγοις στίχοις.* Meinekius dum numeris consulit, obscuram commentus est emendationem *ἁπλῶς θ' ἁ. ὅρια καὶ διέξοδον*: eam tamen candide negat sibi satisfecisse. Sed quoniam scriptor aperte gloriatur optimos fontes auctorum (v. 111. *τὸν ἱστορικὸν εἰς πίστιν ἀναπέμπω λόγον*) ab se adhibitos, apparet ipsa poetae manus, una syllaba revocata: *ἁ. θ' ἁπάντων ἱστορικῶς διέξοδον.* V. 83. *τίνες ἥμεροι, τίνες εἰσὶν ἀξενώτατοι, Ἔθεσι τρόποις ἔργοις τε βαρβαρώτατοι.* Alienum est ab Graecis istud asyndeton: sed facile sermonem restituemus sic, *τίνες εἰσὶν ἀξενώτατοι Ἔθεσι τρόποις τ' ἔργοις τε β.* Leve mendum haeret in v. 130. *ὡς ἂν θεατὴς οὐ μόνον τῆς Ἑλλάδος*: constat enim *ὡς ἂν* esse quasi. Immo refingendum *ὡς ὢν θ.* V. 238—40. *Κύμη, πρότερον ἣν Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν, Εἶτ' Αἰολεῖς· μάλιστα τ' εὐανδρουμένη κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμη ἐστὶ κειμένη πόλις.* Apparet mentionem Aeolicae Cumae plane seiunctam esse ab reliqua narratione, quae in oppidis Italiae versatur, ut eam aut tollere liceat aut cum Letronnio transponere citra sententiae damnum. Scaliger quidem in Euseb. p. 59. reprehendit Scymnum, qui male distinxerit inter Chalcidenses et Aeoles: hic tamen auctorem secutus videtur Straboni similiter tradentem. Quodsi poeta peccasset, errorem etiam augeret Meinekii suspicio, tertios conditores ingerens, *μάλιστα δ' εὔανδρος μὲν ἢ κτλ.* Sed cum *ἐστὶ* codici desit, legere praestat: *εἶτ' Αἰολεῖς μάλιστα τ' εὐανδρουμένη κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμη ποτὲ κειμένη πόλις.* V. 384. *ὀξὺς ταραχώδης ὤν τε πρὸς τὰς μεταβολάς, Μάλιστα τοῦ θέρους δέ, πρηστήρων τε καὶ Βολὰς κεραυνῶν τούς τε λεγομένους ἐκεῖ Τυφῶνας.* Horum initium eo quod supra notavimus vitio laborat; sed in promptu est corrigere, *ὀξύς τε ταραχώδης τε.* Dein accusativi nihil habent unde pendeant; quodsi numeri non displicent, cum praegressis ista sic continuabuntur: *μάλιστα τοῦ θέρους διὰ πρηστήρων τε κτλ.* Porro refingendum *τούς τε νεμομένους*, non *γινομένους.*

tur, sed ut difficultates expediamus, memorabiles novasve narrationes illustremus, denique variam eruditionem quae refertur ad mores artes commercia paratam habeamus. Velut Scylax, utut depravatus et mutilus, aut qui fertur Scymnus Chius modicam requirit annotationem; at Periplus Maris Erythraei parum nos iuvabit, nisi quis navigationes Indicas et totam technologiae materiem perspecte possit explanare. Quamquam haec etiam interior doctrina debet intra certos fines subsistere, ne Salmasianam in licentiam excurrat, neu verbosum interpretem Vincentum imitantes lectorem putida mole fatigemus.

Superest ut indicem Geographorum tanquam in tabula constituamus. Nempe supra diximus corpus Geographorum minorum severiore quam adhuc factum est designatione fuisse circumscribendum. Etenim sine ullo delectu quicquid ad argumenta geographiae pertinere videretur in eandem collectionem intruserunt; sed horum nemo docuit talia communi vinculo coniungi. Fuerunt etiam quibus liberet monumenta mathematicae geographiae, ne quid desideraretur, praemunire. Exemplis utamur Agatharchidis et Plutarchi personati de fluviorum et montium nominibus. Habet quidem Agatharchides passim descriptiones populorum et locorum circa rubrum mare, sed numero pauciora, nec facile memoravit ille mores gentium aut naturam regionum, nisi si quid subesset mirifici sive *παράδοξον*. Iam vero quid censebimus quasi Plutarchum, id est, hominem theurgis ac deliranti sapientiae deditum, qui commenta finxit ineptissima, subornatis etiam falsis testibus? istum vero ab choro geographorum ad paradoxographos esse transferendum statim intelliget, qui quamlibet paginam inspexerit. Vellem igitur utrique locum concessisset Westermannus in Scriptoribus rerum mirabilium Graecis; non enim fieri potest ut hos ab monumentis superstitionis prorsus defendamus. His tertius etiam accedat comes Antonius Diogenes, cuius *τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων* l. 24. a Photio in epitomen redacti quod in Geographis non essent commemorati *Ste. Croix* (Mémoire sur une nouvelle édition des petits Géographes, Journ. d. Sav.

1789. p. 657. sqq. n. IV.) mirabatur. Rursus erraret qui tralaticios auctores propter solam argumenti similitudinem in Corpore Geographorum retineret: sunt enim qui piaculum ducunt, siquis spisso volumini aliquid detrahi velit. Sed recto consilio nostris temporibus viri docti hoc instituerunt, ut varia litterarum genera, praesertim minutos libellos qui delitescere solent vel rarescunt complexa, suas per collectiones distribuantur. Itaque ne Nearchi quidem Paraplum Indiae, quem Hudsonus inseruerat, opinor merito huc traductum esse: libenter enim ferremus, si cum ipsis Nearchi vocibus eum Arrianum servasset; nunc totus ab huius manu profectus suam et peculiarem sedem in Arriani Historia Indica tuebitur, quam nuper emendavit Dübnerus. Quid quod ipsam Chrestomathiam Strabonis praestat cum huius opere coniungi, quod editores nonnulli fecerunt: nihil enim inest praeter Flores et Excerpta, non compendiaria totius orbis descriptio.

Itaque si delectum Geographorum ad certam et simplicem normam exigimus, haud adeo difficilis erit partitio. Nimirum triplex existit ordo: cuius primum genus complectitur periplos, secundum periegeses et mensuras locorum vel marium, tertium systemata totius mundi. Index autem singulorum librorum talis est:

I. Hannonis Periplus. Scylacis Periplus. Arriani Periplus Ponti Euxini. Incerti Periplus Maris Erythraei. Marciani Heracleotae Periplus. Ponti Euxini et Maeotidis Paludis Periplus. Fragmenta Periplorum perditorum (magnus enim numerus fuit periplorum vel paraplorum, ut Androsthenis, Mnaseae, Nymphodori), nominatim Menippi et Artemidori Ephesii. Dionysii Byzantii Anaplus Bospori, apud Gyllium.

II. Dicaearchi Fragmenta proba vel suspecta. Dionysii Calliphontis F. Descriptio Graeciae. Scymni qui dicitur Periegesis. Isidori Cha-

raceni Mansiones Parthicae. Stadiasmi. Palladius de gentibus Indiae et Bragmanibus.

III. Periegeses sive totius mundi descriptiones compendiariae *). Dionysius Periegetes. Agathemeri compendiaria expositio. Chrestomathia Strabonis, si placet. Expositio totius mundi et gentium, e Graecis versa.

Haec omnia satis commode duo volumina implebunt, si quis eruditioni parcere sciat. Accedunt in ordine tertio collectiones rerum notabilium, quibus magistri scholarum uti solebant. Etenim hi discipulorum memoriae inculcabant indices civitatium et maximarum insularum: id quod etiam apud Hyginum F. 276. observare licet; ac fuit huic similis ludimagister qui Scylaci sub finem observationem scilicet doctam allineret. Graeci quidem plerumque septem vel octo maximas insulas tradunt eorumque nomina senariis incluserunt: v. Eustath. in Dionys. 568. et annot. p. 928. adde Meinekium in Comic. Vol. III. p. 518. Addatur insularum dimensio, quam primus dedit Millerus post Marcianum Heracl. p. 321. sq. Multo latius vero patent indices civitatium illustrium, quos praebet Anonymi *Κανὼν ἐπισήμων πόλεων* in Cod. Paris. 2491. itemque codices Laurentiani, vel opusculum apud Boisson. Anecd. I. p. 427. sq. Accedunt inediti Catalogi urbium Graecarum Florentiae et Matriti, v. Iriartis Codd. Matr. p. 305. porro Enumeratio XII. Alexandriarum, quam prodidit Berger de Xivrey *Tradit. tératologiques* p. 346. sive in *Notices et Extraits* T. XIII. p. 260. itemque libellus in Bibl. Parisina, *Ὅσαι τῶν πόλεων μετωνομάσθησαν ἐς ὕστερον*, quo Casaubonus utitur in Lamprid. Heliogab. p. 809. Omnino si nihil nisi recensum montium fluminum insularum sine

*) Nam quas Periegeses antiquitas docta protulerat, eae spectabant ad diligentem descriptionem regionum et locorum, sive chorographiam dicere placet et topographiam: ut quos indicavi in Dionys. p. 520. sq. Quibus accedant Socratis *περιήγησις Ἄργους* (de qua Meinek. Anal. Alex. p. 150.) et Critonis Pieriotae *περιήγησις Συρακουσῶν* apud Suidam.

ulla doctrinae commendatione sectamur, Bibliothecae ditiores affatim suppeditant: vide specimina Iriartis p. 343. et Ritschelii in Museo Rhen. Novo I. p. 142. a quibus non multum recedunt quae Schubartus olim e Cod. Vindob. Iurid. No. 1. fol. 344. mecum communicavit. Sed quoniam hunc locum attigimus, ut color talium indicum diiudicari possit, extat in Bibliotheca Vaticana Catalogus Urbium, cuius particulas Holstenius per Notas in Stephanum Byz. sparsit, similes illis quas Bandurius in Imp. Orientalis T. II. Append. p. 10. 11. congessit. Digessi secundum ordinem litterarum.

p. 17. *Αἴπεια, ἡ νῦν Κορώνη.*

231. *Ἀκαρνανία, ἔνθα οἱ Οἰνιάδαι.*

19. *Ἄκη, πόλις ἐν Φοινίκῃ, ἡ νῦν Πτολεμαΐς. οἱ δέ φασιν ἰδίως τὴν ἀκρόπολιν Πτολεμαΐδος Ἄκην καλεῖσθαι.*

22. *Ἀκυληία, ἡ Βενετία.*

24. *Ἀλέα, πόλις ἐν Θετταλίᾳ, ἧς οἱ πολῖται Ἀλεῖς.*

27. *Ἁλόννησος, νησύδριον ἐν τῷ Αἰγαίῳ πελάγει.*

28. *Ἀλωπεκόννησος, πόλις τῶν ἐν Χεῤῥοννήσῳ.*

33. *Ἀμφίπολις, ἡ νῦν Χρυσόπολις. αὕτη πρότερον ἐκαλεῖτο Ἐννέα ὁδοί· καὶ πόλις Ἄρεως καὶ Ἄκρα. διὰ δὲ τὸ περιοικεῖσθαι Ἀμφίπολις ἐκλήθη.*

36. *Ἄνθιον, πόλις ἀπέχουσα Ῥώμης σταδίων λ'. ὁ ἀπὸ ταύτης Ἀντιάτης* (sic).

40. *Ἀπολλωνία πρὸς τῷ Ἄθει ὄρει κειμένη, νῦν Ἱερισσὸς καλουμένη.*

41. *Ἄπρως, ἡ νῦν Θεοδοσιούπολις, παρὰ Ἄπρου τοῦ πενθεροῦ Κάρου κτισθεῖσα.*

43. *Ἄργος Θετταλικόν, ἡ νῦν Λάρισσα.*

54. *Ἄστακος, πόλις Κεφαλληνίας.*

56. *Ἀταλάντη φρουρίον, νῆσος οὖσα πέτρα ἐρήμη ἐπὶ Λοκροῖς τοῖς Ὀπουντίοις ἐξ Ὀποῦντος, ᾗ πλησιάζει.*

'Αταρνεύς, πολίχνιον καταντικρὺ Λέσβου.

194. *'Αχρίδα ἡ πρώην Σαρῖτις καὶ Πρέβαλις καλουμένη, ἔχουσα λίμνην παρακειμένην Λυχνιδὸν καλουμένην.*

65. *Βέῤῥοια τὸ νῦν Χάλεπ καὶ πόλις Μακεδονική.*

67. *Βιθυνία ἡ Βιθυνῶν ἐπαρχία, ἡ Νικομήδεια καὶ ἡ Νικαία καὶ τὸ θέμα τοῦ ὀψικίου καὶ τῶν ὀπτιμάτων.*

80. *Γάληψος, πόλις Θρᾴκης, ἀπὸ Γαλήψου τοῦ ἐκ Θάσου καὶ Τηλέφης. Γαλλίαι αἱ ἄνω καὶ ἐπέκεινα τῶν Ἄλπεων εἰσὶν πρὸς τῷ ὠκεανῷ· Γαλλίαι δὲ αἱ κάτω ἡ νῦν Λογγιβαρδία.*

84. *Γερμανίκεια Συρίας, ἡ νῦν Ταλεῖταβα.*

92. *Δᾶρες τὸ νῦν Ταῦρες. Δαραί, ὅ τινες Δάρας φασί.*

345. *Δάτος, ὕστερον Φιλίππου κρατήσαντος μετωνομάσθη Φιλιππούπολις.*

103. *Δράβησκος Ἠδωνῶν πόλις ἐν Θρᾴκῃ.*

105. *Δυῤῥάχιον, πόλις καλουμένη πρότερον Ἐπίδαμνος· ὠνομάσθη δὲ Δυῤῥάχιον, ὅτι κατὰ τὸν τόπον προεχούσης ἄκρας γεώλοφον τὸ κῦμα προσπῖπτον καὶ σχιζόμενον ῥαχίαν ποιεῖ μεγάλην. ὅθεν διὰ τὴν ῥαχίαν καὶ τὸ δύσορμον οὕτως ὠνομάσθη.*

113. *Ἔμβατον, ἄκρον τῆς Ἐρυθραίας νήσου.*

134. *Θεοδοσία, χωρίον ἐγγὺς Σκυθῶν.*

Satis, opinor, speciminum, nec cuiquam suaserim ut istas Bibliothecarum delicias solicite rimetur. At longe maiorem usum praestant Peripli (quos et Periplo Cretae auxit Iriartes p. 485. sqq. cf. Hoeckii Cretam I. p. 366. et libello imperfecto, qui inscribitur *Σταδιασμὸς τῆς θαλάσσης*, quem tractarunt Gailius et Letronnius Fragm. geograph. p. 304. sqq.); et Notitiae provinciarum, velut Opusculum de Eparchiis seu Provinciis orbis, editum in Montfauconi Bibl. Coislin. p. 581—84. Quamquam plus proficimus ab ecclesiasticis provinciarum et episcopatuum Descriptionibus.

Nulla tamen pars magis intra expectationem stetit quam universalis terrae descriptio (*τῆς γεωγραφίας ὑποτύπωσις*) sive systema geographiae. Nam qui mathematicas rationes vellent accurate doceri, Ptolemaeum; qui

notitiam populorum et locorum plenissimam, Strabonem solebant adire. Hinc studium uberiores fontes in epitomen cogendi, unde nata Chrestomathia Strabonis; hinc exiles introductiones, inprimis a Byzantinis magistris excultae, velut ab Mich. Psello, quibus nihil aridius fingi potest. Rem in conspectu ponat unicus huius generis scriptor **Agathemerus** sive coagmentatio trium partium, quam post alios diligenter explanavit Fabricius in Mus. Rhen. Novo IV. p. 76. sqq. Iam quem solum perhibeamus verum Agathemerum, ad eum nihil nisi quinque priora capita redeunt: exposuit ibi de primis notionibus, de ventis, de mensuris marium, de longitudine et latitudine orbis, postremo tradit insularum dimensiones. Sequitur epitome Ptolemaei, quae librum I. complet, *διάγνωσις ἐν ἐπιτομῇ τῆς ἐν σφαίρᾳ γεωγραφίας.* Eandem materiam, missis tamen geometrarum demonstrationibus, libro qui inscribitur secundus (non enim MSS. istam partitionem agnoscunt, sed titulum praefigunt, *Ὑποτύπωσις γεωγραφίας ἐν ἐπιτόμῳ. Ἀναμέτρησις τῆς ὅλης γῆς*), copiosius persecutus est, sed ut illius oratione facile carere possimus, scriptor labentis aevi.

Agathemeri quoniam mentio est facta, de critica libelli condicione quaedam subiiciamus. Inquinatam et multis in locis mancam huius orationem extare nemo nescit, qui argumentum diligenter exploraverit aut Graece sciat. Cuius rei causa nunc aetatem codicum nostrorum excedit, nunc ab editorum ignavia debet repeti. Inprimis ipsum exordium misere sermone hiat tamque male concinnatum est ex collectaneis undecunque decerptis (vide p. 2. *οἱ μὲν οὖν παλαιοὶ τὴν οἰκουμένην ἔγραφον στρογγύλην, μέσην δ' ἡγεῖσθαι τὴν Ἑλλάδα, καὶ ταύτης Δελφοὺς τὸν ὀμφαλὸν γὰρ ἔχειν, τοῦ γὰρ πρῶτος δὲ Δημόκριτος κτλ.* ex fide MSS. quam editores pravis commentis incrustant), ut suspicemur introductionem ab lectoribus temere distractam fuisse. Sed longe graviora sunt peccata *Tennulii* et *Iac. Gronovii*, qui Graecam syntaxin et praecepta grammaticorum ignorantes foedos reliquerunt errores, nec raro lacunas grandes notant, ubi sermo plenus est et consummatus. Velut pertulerunt p. 42, 19. *τῆς ἀγνωσμένης*, in Latinis

terrae incognitae: MSS. quod omnes suspicantur τῆς ἐγνωσμένης. Ibidem sub finem παράπλωται, invitis codd. 47, 3. ὀρέων, MSS. ὀρῶν. 48, 22. πρωτεύει μὲν ἄν, ubi πρωτεύοι Paris. b. praebuit; item ut καλεῖτο δ' ἄν p. 18, 15. quod vel sine MSS. refingi debuit καλοῖτο δ' ἄν. 51, 8. ἐρημαί-ου, MSS. ἠρεμαίου. 54, 14. τὰ μὲν νοτιωτέρων, ubi μὲν otiosum est, MSS. τὰ τῶν νοτ. Adde vitium, cui plura sunt similia, ἐπωνομάζεται. Male pingitur (ut mittamus p. 49, 7.) p. 41. extr. lacuna, ubi vel sine MSS. paratum esset τῇ ἀγνώστῳ ἐστὶ χώρᾳ πόλις καλουμένη. Est etiam ubi Tennulius librum suum obiter inspexit aut eius ductus non assequitur: ut p. 36, 9. perverse posuit παρίσῃ, cum MSS. aperte praebeant ἠπείροις. Itaque si quis tanti hunc scriptorem aestimaret, profecto campus uberrimus emendationi pateret. Ceterum codices admodum negligenter habiti parum nos iuvant ac tot apographa, quae Agathemerum sedulo lectitatum arguunt, plerumque fidem unius neque vetusti libri repraesentant. *Bredovius* igitur cum quattuor MSS. Parisiis inventos paene nimia diligentia comparasset, mox animadvertit nihil nisi scripturas eiusdem libri, quem puriorem reliquis MS. 1405. exhibeat, sese tenere. Nos ex congerie parum fructuosa seligemus, quae possint in usum emendationis converti qualemcunque: neque haec quamvis tenuia spernenda sunt, cum criticus apparatus Agathemeri nondum sit inchoatus.

P. 2, 7. εἶτα Δαμάστης ὁ Κιττιεὺς τὰ πλεῖστα ἐκ τῶν Ἑκαταίου μεταγράψας] Licenter Gronovius intrusit πλεῖστα, nihil ille curans pessimum vitium Κιττιεύς (Κητιὲς vel Κητιεὺς MSS. pro Σιγειεύς): sed servanda librorum scriptura τὰ ἐκ τῶν Ἑκαταίου, quam facile muniat, si opus sit, Diodorus XVI, 51. ἀπήνεγκε δὲ τὰς ἐκ τῶν ἀρχαίων ἱερῶν ἀναγραφάς. 9. τῆς ante γῆς delent MSS. 26. οὐροειδῆ] ἐροειδῆ Par. b. εὐροειδῆ Scholia Dionysii: corrige θυρεοειδῆ. 8, 25. Λιβύη δ' ὑφ' MSS. 11, 6. καὶ διάπλους ἐπὶ Γάδειρα] καὶ ὁ διάπλους ἐπὶ Γάδειρα διὰ τῶν πανδόκων sic MSS. 12, 14. Καὶ ἄλλως ἀπὸ Ῥόδου εἰς Κνίδον] Ἄλλως ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν· ἀπὸ Ἀλεξανδρείας εἰς Ῥόδον στάδια δχό· εἰς Κνίδον meliores MSS. satis defectum verborum testificantes; porro post Ἄλλως distinguendum. 14, 20. τὴν

Λωτοφαγιτίδος] *τὴν Λωτοφαγῖτιν* MSS. *τὴν Λωτοφαγιτίδα* Wesselingius in Itiner. p. 519. 16, 8. *Κεῖος*] *Κεία* MSS. 17, 19. *ἀπολελεγμένα*] *ἀπεληλεγμένα* MSS. 22. *ὡς ἐγχειριδίῳ συνελεῖν*] *ὡς ἐν βραχεῖ συνελεῖν* MSS. 21. *αὐτὸς*] *ὁ* praemittendum cum MSS. Dein *ἐπ' ἀμφοτέροις* praestat cum Par. b. 23, 3. *τῆς γῆς*] *τὸ* praemittunt MSS. qui continuo recte *ἔστω σοι δ' ὡς* (vulg. *ἕως*) *ἐν ὑποδείγματι*. 25, 8. *καὶ σφόδρα*] *γε* addunt MSS. 23. *ἐπὶ δὲ τὸν*] *ἐπὶ δὲ τοῦ* emendate MSS. 26, 4. *διὰ τοῦτο*] Cum iisdem l. *διὰ τούτου*. 27. extr. Refinge pravam distinctionem sic: *Ἰδού σοι καὶ τούτου τὴν λύσιν ὡς ἣν δυνατὸν ἐν ἐπιπέδῳ νοῆσαι παραδεδώκαμεν· εὐκολώτερα* (sic Par. a. pro *εὐκολωτέρως*) *δ' ἂν κτλ.* 28, 4. *οἰκουμένη πᾶσα*] *ἡ* praefigit a. 28, 17. lacunam ita MSS. explent, *ἐφ' ἑκατέρου τοῦ μέρους ὃς καὶ αὐτὸς παράλληλον*. 30. Meliora MSS. *ἀλλ' εἴρηται ἡ αἰτία ὅτι ὁ ἰσημερινός*. 29, 23. *τῶν* ante *κλιμάτων* MSS. Iidem 29. *ἔχει τε μῆκος*. 30, 5. vicem lacunae MSS. *ὁ πρῶτος πρὸς νότον παράλληλος ἀπέχων τοῦ ἰσημερινοῦ*. 12. *δηλονότι*] Addunt *τοῦ*, item 24. *τὸ* ante *δεύτερον*. 31, 1. *ἐντεῦθεν*] *ἐνταῦθα* MSS. 32, 4. *ὧδε*] *καὶ* praemittunt. 34, 25. *τῆςδε*] Addunt *τῆς*. 35, 2. Firmant meliorem rationem *ἐνναχόσιοι*. 37, 12. *νενευκνῖαι*] *νενεύκασι*, quod structura poscit, MSS. 38, 10. *Ῥαιτίαν*] Addunt *μέν*, item 39, 5. *τῇ* ante *κάτω*. 42, 17. *μετὰ σύμπασαν*] *μετὰ δὲ τὴν σύμπασαν* MSS. 44, 1. *τῇ Ἀσσυρίᾳ*] *μὲν* interponunt. 45, 15. *μεγίστη μὲν ἀναφανείη*] Lege cum MSS. *ἂν φανείη*. 47, 22. *καὶ τὴν Δούβαιδα* MSS. 51, 15. *καθάπερ ἡμῖν*] *καθὰ παρ' ἡμῖν* MSS. 54, 9. *τῶν ἄλλων*] Addunt *τῶν*, item *τὸ* ante *ἀπὸ* 55, 11. 57, 14. *πληρούμενον* MSS. 59, 1. *ἐν ᾧ*] Addunt *δύο*. 60, 4. *ἀνάπτεται*] Recte *ἀναπέπταται* MSS.

Sed redeamus in viam ex Agathemeri deverticulis. Dictum in primordio huius disputationis magnam semper Geographorum minorum existimationem fuisse, quos plerique vix oculis usurpassent ac toties ab viris eruditis frustra tentatos audissent; itaque ut ex longinquo visis maior solet reverentia constare, ita grande quoddam auxilium litterarum ab corpore horum librorum commodo et doctis annotationibus instructo

sibi pollicebantur. Enimvero hic quoque fallit species et rumor incertus. Ac primum si bonam et venustam orationem quaerimus, eam unus ostendit Arrianus. Is proconsul Bithyniae cum muneris causa totam maris Euxini oram lustraret, quae quidem ad rem militarem et publica negotia spectabant, Latinis commentariis (p. 6. ἐν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι γέγραπται, adde p. 10.) breviter consignavit; quae autem Hadriano Augusto (huic enim inscripsit libellum) quippe Graeculo et reconditarum litterarum amantissimo sciret placitura, ea suavi narratione ornavit, flosculis etiam poetarum distincta; denique libellum comptula quadam elegantia, quam usque ad reprehensionem affectat, sic coloravit, ut Periplo P. E. de Graecis nullum itinerarium possit aequiparari melius elaboratum. Ab Arriano tamen si discedimus, mira reliquorum est mediocritas, partim etiam confusio, velut Scylacis: nec male nobiscum actum videtur, si continuum saltem ac satis planum sermonem laudare licet, neque in aridis nominum recensibus animum despondere. Nam Dionysii Periegetae peculiaris est condicio, qui doctrinae tenuitatem compensat cum artificiis elocutionis poeticae. Contra praestantiam argumenti vel novitatem fontium si spectamus, plane singulares et qui in primario loco reponendi sint extant duo, Hannonis periplus et Arriani qui fertur Periplus maris Erythraei: quippe hi quae tradunt aut soli viderunt aut praecipuam eorum auctoritatem sustinent. Ceteri partibus tantum aut fortuita rerum vetustarum memoria valent, ut Arrianus ille supra celebratus, ut Scymnus, item descriptiones hominum Atticorum et Boeotorum quae inter Dicaearchi fragmenta (ap. Hudsonum p. 8—20.) feruntur; omnium autem minime necessarius Marcianus, qui totus e Ptolemaeo pendet. Quodsi summam ex universa disputatione conficimus, insunt Geographis Graecorum minoribus monumenta pretiosa, plura tamen vulgaria vel secundaria vel sic comparata, ut per dissolutum foedumve habitum librorum iis perfrui nequeamus. Itaque non male de bonis litteris merebitur, qui scriptores illos in gyrum artio-

rem coactos editione parabili divulgarit et commentariis non laboriosis res a Geographis nove vel docte prolatas sua in luce collocare sciat.

Caput II.

Iam percurrendi sunt ii Geographi, quos concessum est diversitate scripturae e codicibus petita vel emendatis lectionibus nonnihil iuvare. Utar ordine et paginis Hudsonianae.

1. Hannonis Periplus.

Hunc Gelenius diligenter ex unico fonte, hoc est, MS. Palatino descripsit, nec Bastius Ep. Crit. p. 42. habuit illius quemquam errorem notare praeter p. 3, 23. μετὰ pro μεστὰ scriptura codicis. Ipse paucula repperi, cum eundem Pal. pertractabam. P. 2, 14. παραλλάξαντες, rectum pro mendoso παραλλάξαντος. P. 3, 18. Χρετης sine accentu, in marg. λίμνη χρετης: ergo librarius aliquid vitii subodorabatur. Χρεμέτης probabiliter Bochartus, vidit tamen editor Vratislaviensis Klugius p. 33. hiare verborum iuncturam ex intercepta formula ᾧ ὄνομα ἦν vel simili. P. 5, 10. ante δ' itemque 15. ante μέγιστον aliquid erasum. 14. οὗτος] τοῦτο, recte, quod Holstenium non fugit.

Monumentum quamvis paucarum pagellarum florem doctorum hominum exercuit, quod nunc eos qui commercia Punica scrutabantur, nunc geographos advertit in navigationibus per oram Africae occidentalem versantes. Itaque magna vis dissensionum et controversiarum coorta est in interpretandis nominibus vel locis: quae quidem persequi nunc nihil ad nos. Quamquam interim monemus in Hispanica Campomanis disputatione (Antigüedad maritima de la Republica de Cartago. Con el Periplo de su general Hannon, trad. è illustrado por D. Pedro R. Camp. Madrid 1756. 4.), quam multi tanquam eximium laudant subsidium, fere nihil

verae doctrinae inesse. De fide tamen et primitivo scriptore libelli fuerunt olim qui dubitationes promerent: nempe mirati et commentariolum publicum tantae antiquitatis ad nos pervenisse et orationem Graecam actorum in aede Saturni Punica palam positorum. Legerunt quidem ex veteribus scriptor Auscultationum mirabilium et Mela; quibus possit etiam Aristides addi T. II. p. 474. *καὶ μὴν οὐδὲ Καρχηδονίων οἱ ἐκπλεύσαντες ἔξω Γαδείρων καὶ τὰς ἐν τοῖς ἐρήμοις τῆς Λιβύης πόλεις οἰκίσαντες τοῦτον ἤνεγκαν οἴκαδε τὸν λόγον οὐδ' ἀνέγραψαν οὐδ' ἀνέθηκαν ἐν τῷ ἱερῷ, ἕτερα πολλὰ καὶ ἄτοπα γράψαντες.* Graecam autem orationem temere Campomanes p. 15. sqq. ab ipso totius expeditionis duce repetebat. Nempe nobiles Carthaginienses Graece sciebant, pauci etiam probabiliter scribebant; eundemque Hannonem ille pro auctore habet Senatusconsulti satis perplexi apud Iustin. XX, 5. ne quis postea Carthaginiensis aut litteris Graecorum aut sermoni studeret. Haud prudentior fuit Klugii suspicio p. 6. Hannonem scilicet bellis Persicis superiorem Graecam linguam calluisse, ut qui Syracusanam mulierem duxisset; ab eo igitur monumentum Punicum Carthagini constitutum in Graecum sermonem esse translatum; huc accedere orationem parum explicatam et colorem peregrinum in dura minutorum sensuum compositione, sic ut cogitata summis tantum lineis adumbrentur. Et haec quidem observatio certa est; sed Hannonem ducem Carthaginiensium, quos constat arcana suae civitatis et notitiam cursuum maritimorum procul a peregrinis anxie custodisse, quae causa vel quorumnam usus commovere debuit ut commentarium suum Graecum faceret et quasi bilinguem? Itaque recte Hugius, Theologus olim litteratissimus, qui in libello academico Frib. 1808. hunc Periplum illustravit, cum antea conversionem a Siculo quodam fabricatam sumpsisset, postea p. 31. Punici ingenii stilique vestigiis observatis eam ad Carthaginiensem vel Poenum hominem rettulit, qui per commerciorum necessitudines Graece didicisset. Etenim, quod addimus, ipsa Carthago liberrimam utriusque nationis et

sermonis praebuit consuetudinem, ubi coloni Graeci suis opibus insignes popularia sacra colebant: v. Diod. XIV, 77.

2. Arriani Periplus.

Item a Gelenio diligenter ex eodem Palatino descriptus, cuius librarius in subscriptione monet: *διώρθωται οὐ πρὸς σπουδαῖον ἀντίγραφον.* Sed eadem ubi recurrit in fine Peripli M. Erythraei, verius suum habet locum: nam Arriani pleraque sana sunt et perspicua, nec multas enotavit Bastius scripturae differentias. Subiiciam igitur ab eo missas, exceptis levioribus ac nullius usus lectionibus aut erroribus ab secunda manu correctis. P. 4, 3. *καὶ μονονουχὶ*] *καὶ μόνον* P. Neque haec pars orationis mutanda fuit sed *ὤνησεν*, quod adhuc medicum expectat. Ib. 26. *σῴζοιτο δ' ἂν καὶ τοῦ βοῤῥᾶ* P. Inculcarunt *ἀπὸ* petitum e praegressis; sed praestat lectior structura. P. 6, 21. *Θόανα λέγουσιν ὅτι ὠνομάζετο* P. Per malam fraudem verbo praemiserunt *οὕτως* tanquam elegantius. P. 7, 11. *ἀπ' αὐτῶν (Ἀθηνῶν)* P. *ἀπ' αὐτοῦ* error typ. Eiusdem pag. sub finem *στάδιοι* P. pro vulg. *στάδια.* Variat in his Arrianus, ut p. 10. P. 8, 9. *καθάπερ τῷ Πηνειῷ τὸν Τιταρήσιον λέγει ἐπιῤῥεῖν Ὅμηρος, Καθύπερθεν ἐπιῤῥέει ἠΰτ' ἔλαιον:* in vulgatis cum P. *ἐπιῤῥέει* ignoret, apparet omnia in unum esse contrahenda, *καθάπερ Ὅμηρος κ. ἠΰτ' ἔλαιον.* Ib. 20. *οἱ προσοικοῦντες:* articulum om. vulg. Porro cum P. *τὰ δὲ* pro *τάδε.* P. 10, 3. *πρὸς τῷ*] *πρὸς τὸ* P. recte. Quod praecedit *καὶ ἐν ὀλίγῳ πᾶσιν ἐξήρτυται,* nemo non videt vel silente MS. refingendum esse *καὶ ἑνὶ λόγῳ.* P. 12, 28. *Τὰ δὲ ἀπὸ Βοσπόρου: ἀπὸ* deest vulg. P. 15, 7. *ἐν Κυτώροις καὶ ἀπὸ Κυτώρων* P. qui tamen nihil mutat in *εἰς Κύτωρον:* sed in marg. m. rec. *ἄλλοι κίτωροι.* Ib. 10. *Κάραμβιν*] *Κάραβιν* P. Sub finem *ἀπὸ δὲ Σινώπης: δὲ* om. vulg. P. 20, 2. *τῇ μὲν-τῇδ'*] *πῇ μὲν-ᾗδ'* P. Vide Herm. Opp. IV. p. 266. Ib. 11. *Ἑλληνὶς πόλις*] *Ἑλλὰς πόλις* eleganter P.

Praeterea Excerpta huius Peripli feruntur in Cod. Vindobonensi. Ceterum memorabilis est locus Leonis Diaconi IX, 6. p. 150. qui mirificam

narrationem de barbaris moribus Achillis et habitatione Scythica repetat ab Arriani fide, Ἀῤῥιανὸς γάρ φησιν ἐν τῷ Περίπλῳ. Itaque fuere qui plenius exemplum illi affuisse crederent. Sed quis opinetur eodem in libello contrarias et fabulas et morum notationes extitisse, cum hodie praeconium Achillis splendidissimum legamus p. 23. Ἀχιλλέα γὰρ ἐγὼ πείθομαι εἴπερ τινὰ καὶ ἄλλον ἥρωα εἶναι κτλ.? Immo fefellit Leonem species scriptoris cognominis, ac liberaliter de suo Periplum adiunxit.

3. Periplus Maris Erythraei.

Arriani nomen cum ab vicinia superioris Peripli fluxerit, Anonymi aetatem et vitae genus sunt qui ope coniecturae definiant. Itaque Vincentus hominem Alexandrinum, qui mercaturam Claudio principe cum Indicis gentibus exercuerit, effingens nactus est astipulatores. Equidem Arrianum istum quis fuerit et unde natus, qui murrina et sindones melius quam Graecam compositionem teneret, nec scio nec scire laboro, quippe qui satis habeam intellexisse hunc Periplum non modo singularis esse fabricae (insunt enim acta diurna mercatoris ad Indicas stationes navigantis), sed omnium quae in corpore Geographorum continentur opusculum esse difficillimum, eumque tanta rerum varietate refertum, ut eruditissimum sibi poscat ac perpetuum commentarium. Sed adhuc nihil nisi molem multiplicis lectionis et ariolationis super locos, nomina, merces accepimus, nec multum iuvit novissimus editor paucorum quorundam recentes libros, ut Ritteri Lassenique breviter indicans. Minime stomachosum esse decet, qui velit collectanea Guil. Vincenti, hominis in litteris parum versati, verbosi tamen et sibi minime diffidentis, copias in usum vertere. Huc accedit insignis corruptio verborum Graecorum, inprimis propriorum (velut p. 2. δοιδοτικῷ pro ἀδουλιτικῷ), quam ipsa Palatini subscriptio conqueritur. Ac mireris interdum patientiam editorum, qui dum plurimas mendas fortiter expellunt, tales stribligines praetervecti sint ut p. 34, 8. τῶν δὲ καὶ τούτων ἐμπορίων τε καὶ ὅρμων, vel ib. 34, 24. καταντᾷ τὸ δὲ

χρῆμα, ubi in promptu τό τε χρῆμα. Palatinus tamen cum unicus sit fons monumenti pretiosissimi, nec post editorem primum a quoquam adhibitus, non alienum duxi hanc opellam in codicem eximium Heidelberga transmissum consumere. Nam Bastius istam codicis partem plane non attigit. Quo loco mirere Dresdensis editoris socordiam, qui in prooemio notularum anno praegresso haec tradiderit: „Unus extat huius peripli codex, olim e Bibliotheca Palatina Electorali, quae Heidelbergae erat, in Vaticanam et *sub initium huius saeculi a Francogallis Parisios translatus, quem omni studio ac diligentia cum editis contulit F. I. Bastius;*" addens etiam, quasi Epistolam Crit. inspexisset, pp. 2. 35. 42. Verumtamen spicilegium intra spem stetit, nec tanti fuit ut bonas horas mendis enotandis impenderem. Nempe plurimas scripturas, quarum partem fideliter expressit editio Basiliensis, tacitus praetermisi. Nihilominus habent interdum errores librariorum quo criticus attentus uti possit. Velut in p. 21, 15. πόλις ἀπέχουσα ὁδὸν ἡμερῶν ἑπτὰ ἀπὸ θαλάσσης Pal. habet ἔχουσα. Itaque Graece doctus facile corriget vitium p. 29, 22. ἀπὸ Βαρυγάζων ἔχοντα ὁδὸν ἡμερῶν εἴκοσι. Sed progrediamur ad rem.

P. 1, 7. βερνίκη (marg. βερενίκῃ in litura). 11. βερνίκης, ac passim.

P. 2, 9. τὸ πέρας. Locus affectus. Sensus poscit, τῆς τῶν πέραν ἀνακομιδῆς. Ib. 12. ἐπιπτολέων P. In vulg. ἀφ' ἧς οἱ ἐπὶ Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ θηρευθέντες ἐνέβησαν non modo dativus displicet verum etiam passivum θηρευθέντες. Si tamen ἐλέφαντες intercidit, non improbabitur οἱ ἐπὶ Πτολεμαίων τῷ βασιλεῖ θ. ἐ. ἐ. vel ἔβησαν.

P. 3, 21. ἀμμιναί] ἀμμειναὶ P. cuius m. sec. fecit spiritum et tenorem. Interpres, ut potuit, *arenosae.* Sed expungenda vox.

P. 4, 1. τῶν πλειόνος (πλείονος m. sec.) P. τῶν πλειόνων Stuckius, qui formulam ἀκριβὴς μὲν τοῦ βίου καὶ τ. πλ. ἐξεχόμενος ut solet temere vertit, sic ut scriptori novum etiam sermonem Graecum obtruderet: *spectatae probataeque vitae homo, ceteris omnibus antecellens.* Immo regulus iste fuit vita parcus et pluribus inhians. Reducendum enim τοῦ

πλείονος. Ib. 10. *μυῤῥινῆς* male tribuunt P. Nam is *μορρινης* sic, quae est proba scriptura. 15. *ψελίων*, quod praestat. 24. *λαδικηνὸς* P. Id ex vulgi consuetudine natum probaveris: nam *Ladicia* tritum est serioribus saeculis.

P. 5, 1. *ἀπὸ τῶν* P. recte pro vulg. *ἐπὶ τῶν*. 8. Post *ἐλέφας* e Pal. adde *καὶ χελώνη*. 28. *στενότατος* l. cum Pal.

P. 6, 8. *Κῆλις*] *Κῆλιν* P. in litura. L. *ἀντικρὺ Ὄκηλιν*. P. 7, 24. *ταπατηγη* sine tenore P. Editores temere, quamvis locorum et nominum ignari, locum obscurum diffinxerunt. Letronnius (*Journ. des Sav.* 1829. p. 118. sive *Fragm. des Poëmes géogr.* p. 314.) *Νειλοπτολέμαιον* (vel *Νεῖλον Πτολεμαίου*) *καὶ τὰ Πατάγη καὶ δαφνῶνα μικρὸν ἀκρωτήριον Ἐλέφας, ὃ ἀπὸ Ὀπώνης εἰς νότον προχωρεῖ*. Horum nihil utile nisi *ὃ* post *Ἐλέφας*.

P. 8, 3. *Ἀποκόπων*] *ἀπόκοπον* P. quod recentiores occuparunt. Repugnat p. 9. Hi cum multa temere et citra codicis fidem mutarint, pusilla tamen menda custodiverunt, velut 9. *ἀλάσσειν* (sic P. m. pr.). 15. In nominibus specierum liber tenores omittere solet, *γιζειρ* (mg. *γίζερ*) *καὶ ἀσυφη* — *καὶ μαγλα*. Nec desunt in talibus minutae discrepantiae.

P. 9, 9. *κατὰ τὸν παράπλουν*] *κατὰ* om. P. Malim *οἱ δὲ διὰ τ. π.* 18. *ποταμὸς*] *ποταμοὶ* P. Neutrum in hac oratione sufficit; nam corrupta quaedam esse demonstrat praecedens *διὰ ἀγκυροβολίων*. 24. *Σαραπίωνος* P.

P. 10, 18. *καὶ* ante *πλεῖστος* addit P. item *ἐν* ante *σώμασιν*, nec improbum est *μέγιστοι ἐν σώμασι*: v. comment. de Synt. p. 212. Porro reponendum *οἱ* ante *περὶ*. In seqq. *καὶ κατὰ τὸν τόπον ἕκαστον ὁμοίως τιθέμενοι τυράννους* haesit mendum ridiculum, quod et dura vocis *ἕκαστον* structura coarguit et perversa sententia, *singula loca certos suos tyrannos habent*, cui repugnat continua narratio de unico tyranno Mopharite. Pal. *ἕκαστος* et m. pr. *τυράννοις*, quorum utrumque sensus requirit: *homines vastissimis corporibus et quorum singuli ritu modoque tyrannorum res suas agant.*

P. 11, 28. καὶ ante εἰς Pal. Vidit nuperus editor membra confusa sic esse ordinanda, ut καὶ παραφυλακῆς χάριν ante ἑκατοντάρχης locentur; sed καὶ ante παραλήπτης supervacuum est.

P. 14, 29. Χαριβαηλτὸς ὅρμους ab vero proxime P.

P. 15, 18. λιβανωτοφόρον, in mg. λιβανοφόρος χώρα, P. Habuit diversitatem scripturae λιβανοφόρον. 24. Σαυβαθά et in mg., quae fere Ptolemaei ratio est. 30. τῶν πέραν] τῶν τούπεραν P. item p. 13, 2. τῇ τοῦ πέραν.

P. 16, 2. καὶ ante ὁμοίως P. Comparanti p. 13. liquebit orationem esse sic instaurandam, καὶ ἱματισμὸς Ἀραβικός, ὁμοίως καὶ ὁ κοινὸς καὶ ἁπλοῦς καὶ ὁ νόθος καὶ περισσότερος.

P. 17, 9. Διοσκουρίδου P. 21. καὶ ἔτι Ἑλλήνων] καί τινα μὲν Ἑλλ. P. qui haud scio an voluerit, καί τι καὶ μὴν Ἑλλ. 25. καὶ ante τοῖς om. P. Legendum expulso μείζοσιν: πλείστην δὲ καὶ διάφορον τοῖς ὀστράκοις. 29. Sub finem paginae mira locum invasit perturbatio, ex repetitione unius nominis nata: οὐ τὰ παρὰ τὴν κοιλίαν μέρη (adde μὲν cum P.) τὰ ἐγχρήζοντα τομὴν οὐκ ἐπιδέχεται, καὶ πυῤῥότερα ὄντα. ὁλοτελῶς δὲ τὰ εἰς γλωσσόκομα καὶ πινακίδια καὶ μαγίδια ἐγχρήζοντα καὶ τοιαύτην τινὰ χρῆσιν κατατέμνεται. In prima syllaba superioris ἐγχρήζοντα, quod ex altero membro inculcatum est, lituram habet Pal., idemque retinet τινὰ γρύτην, quod Stuckius temere mutavit, dudum ille reprehensus Salmasio in Vopisci Aurel. p. 535. „at γρύτην (inquit) appellat Arrianus minuta id genus vascella, ut sunt catilli, arculae, capsulae et similia, Latini scruta appellant". Itaque sic fere concinnandus locus: οὐ τὰ παρὰ τὴν κοιλίαν μέρη μὲν τομὴν οὐκ ἐπιδέχεται, καὶ στεῤῥότερα ὄντα· ὁλοτελῶς δὲ τὰ νῶτα εἰς γλωσσόκομα καὶ πινακίδια καὶ μαγίδια καὶ ἐγχρήζοντα καὶ τοιαύτην τινὰ γρύτην κατατέμνεται.

P. 19, 23. post διακοσίων adde cum P. τὸ δὲ μῆκος ἑξακοσίων.

P. 20, 21. καὶ ποταμὸν Εὐφρ. inest in hac scriptura P. κακαὶ.

P. 23, 8. ἀποκέλλειν] L. ἐποκέλλειν cum Pal.

P. 27. ἐν οἷς] Immo ἐν ᾗ cum Pal.

P. 31, 5. *μουνδίρεως*, in mg. ζ Pal. Itaque corrector rectum vidit *Μουζιρέως*.

P. 32, 8. *λεγόμενον Κοττοναρικὸν*] *λεγομένη Κοτταναρικὴ* Pal. Femininum quoniam non temere potuit irrepere, videtur illud additamentum infra pertinuisse ad verba *καὶ χελώνη, ἥ τε Χρυσονησιωτικὴ ἡ περὶ τὰς νήσους θηρευομένη — τῆς Λιμυρικῆς*, ubi desideratur alterum membrum *καὶ ἡ λεγ. Κ.* 19. *ὅς ἐστιν Ἐπιφί*] Recte ὅ Pal. quod in eadem formula recurrit p. 8. 20. *καὶ Εὐδαίμονος Ἀραβ.*] Interpone *τῆς* cum Pal. 26. *ἀφ' οὗ καὶ τοπικῶς ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ φυσώντων τῶν κατὰ καιρὸν τῶν παρ' ἡμῖν ἐτησίων ἐν τῷ Ἰνδικῷ πελάγει, λιβόνοτος φαίνεται. προσονομάζεται* (*δὲ* addit Pal.) *ἀπὸ τῆς προςηγορίας τοῦ πρώτως ἐξευρηκότος* (*ἐξευρηκέναι* Pal.) *τὸν διάπλουν*] Licenter in loco perturbato versatus est nuperus editor, cum tollendum esset et *τῶν* post *φυσώντων*, ubi sensus requirit *καὶ κατὰ καιρόν*, et otiosum additamentum *ἀπὸ τῆς προςηγορίας . . . διάπλουν*. Salmasio debetur *προςονομάζεσθαι*: atque haud scio an sub finem repetendum fuerit *Ἵππαλος*.

P. 34, 21. *εἰς τοὺς τόπους*] *τούτους* addit Pal.

P. 35, 27. *καὶ ὠκεανὸν*] *καὶ τὸν ὠκ.* Pal.

P. 36, 24. *τό τε ἔριον*] *καὶ τὸ νῆμα* adde cum Pal.

P. 37, 6. *τῷ μὲν σώματι κολοβοὶ καὶ σφόδρα πλατυπρόςωποι, σιμοὶ εἰς τέλος, αὐτοὺς δὲ λέγεσθαι Σησάτας*] Sic locum corruptissimum mutavit Salmasius, parum prospere: nam et *σιμοὶ* iunctura caret et obscurum est *εἰς τέλος*, nec infinitivus habet unde pendeat. Pal. *πλατυπρόςωποιενμοι εἰς τέλος τε αὐτοὺς λέγ.* Sententia fere poscit: *ὀνόματι δέ φασιν αὐτοὺς λέγεσθαι* vel similia.

P. 38, 1. *ἐκ δὲ τοῦ ὑποδ.*] *καὶ τοῦ ὑποδ.* Pal. quod retinere licet.

4. Periplus Ponti Euxini et Maeotidis Paludis.

Sic compilatio dicitur (subscriptio Pal. in mg. *Μαιώτιδος λίμνης περίπλους*) parum perite facta, quae indices mensurarum sive stadiasmum, saepe cum Arriano concordantem, quasi per elegantiae studium miscet cum fru-

stulis eius poetae, qui Scymnus Chius perhibetur, sicubi historiae civitatium et populorum sunt adumbrandae. Constat autem duabus partibus, quarum maiorem Palatinus, alteram Vaticanus liber Holstenio suppeditavit. Itaque debebat ab editoribus in unum corpus conflari; sed Hudsonus, qua fuit socordia vel oblivione litterarum, priorem particulam in primo, posteriorem in tertio Geographorum suorum volumine locavit. Nos in iis Peripli finibus operam continebimus, quos uni Palatino debemus. Eodem Salmasius et Holstenius usi sunt; sed apographum Salmasianum, paulo festinantius illud factum, admodum negligenter propagarunt Is. Vossius, Iac. Gronovius, Hudsonus. Etenim hi, quamquam in singulis versibus incessum numerorum poterant sentire, vastos etiam hiatus perferebant, ut *καὶ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι ἀγνοουμένην.* Accurate tamen Bastius Ep. Crit. p. 12—34. Palatinum excussit, perpaucis omissis (ut p. 9, 22. *εὐβοτᾶνος,* ubi Pal. aperte refingit *εὔβοτος,* p. 13, 30. *εἰς τὸν Αἷμον τὰς ὑπωρείας,* p. 15, 14. *μνήμην ποιεῖται,* quod praestat vulgato *μ. ποιεῖ,* ne manifestos errores cumulem), nec quod magni momenti sit referre nobis reliquit. Interim animadversio rerum leviorum habet aliquem usum in eo scriptore, cuius ex verbis senarii nunc sua sponte prodiere, nunc operosius tanquam auctarium Scymni Chii procusi sunt. Quo in negotio parum caute critici versabantur, unice trimetris vel male natis intenti; quamquam Anonymus non omnia perpetua serie coniungit, sed quamcunque notitiam gentium vel locorum illi fortuna obtulit paulo notabiliorem, eam aliam ex alia nullo discrimine nectit. Utar exemplo ed. Meinek. v. 820—23.

καὶ κατοικῆσαί τινας
εἰς τὴν Ἀσίαν ἐλθόντας, οὓς δὴ καὶ Σάκας
καλοῦσιν. εὐσημότατον εἶναί φησι δὲ
τὸ Σαυρομάτων καὶ τῶν Γελωνῶν καὶ τρίτον κτλ.

Haec neque cohaerent et misere vincta coarguit tam interpunctio v. 822. quam contortus iste verborum positus *εἶναί φησι δέ:* quamquam maiora ausus Letronnius *καλοῦσιν. ἔθνος εὐσημότατον δέ φησι τὸ|.* At utra-

que membra seorsim stare docet Pal. pr. lectio, *εὐσημότατον εἶναί φησι τῶν Σαυροματῶν*, nam *δὲ* et *τὸ* inter versus altera manus posuit. Periit igitur senarius, unde pendent genitivi; voluit autem Anonymus, *ἔθνος εὐσημότατον εἶναι φησι τῶν Σ. κτλ.* Item quae conglutinata sunt v. 792. sqq. non redolent artem poetae, sed pertinent ad narrationem prosaicam; nisi quod duo senarii sub initium aures advertunt: *ἔχει δὲ πλῆθος χειροήθες ὀρνέων, Θέαν ἱεροπρεπῆ τε τοῖς ἀφικνουμένοις.* Sed piget his immorari; potius in tali libello mireris additamenta lectorum vel interpolatorum extare. Horum unum Salmasius p. 11, 3. *καὶ ξόανον, ἤτοι ἄγαλμα* sustulerat. P. 8, 2. *Ἀχίλλειος δρόμος, ὅπερ ἐστὶν ᾐών, τουτέστιν αἰγιαλός, σφόδρα μακρὰ καὶ στενή, διήκουσα τὸν πόρον κτλ.* Ubi *διήκων* Pal. m. pr. frustra: nam ipsa structurae ratio iubet: *ὅςπερ ἐστὶν ᾐὼν σφόδρα μακρὰ κτλ.* Subsequitur locus vel foedior interpretamentis: *Κατὰ μέσην* (l. *μέσον*) *δ' αὐτῆς αὐχὴν ἰσθμοειδής, τουτέστιν στενώδης, τῇ ἠπείρῳ ἤτοι τῇ γῇ συνάπτει.* Sed expulsis fraudibus non amplius apparet vestigium poetae.

5. Plutarchus de fluminibus.

Supra diximus istum quasi Plutarchum, quem manus secunda Palatini *ψευδεπίγραφον* esse pronunciavit, ad scriptores rerum mirabilium sive paradoxographos esse ablegandum. Fatendum tamen nonnihil discriminis inter utrosque intercedere. Nempe hi vel commentariis hominum eruditissimorum vel suis oculis et commerciis longinquis usi magnam confecerant materiam, unde singulares rerum naturalium et curiosarum observationes non solum illustrari possent, sed per ordines etiam ac genera tanquam initia disciplinae legitimae dispertiri. Iidem si forte res incredibiles et absonas ultra fidem obtrudere videntur, nunquam tamen inaudita consulto finxerunt aut veri leges oblectationis causa violarunt. At libellus iste, qui inscribitur *Πλουτάρχου περὶ ποταμῶν καὶ ὀρῶν ἐπωνυμίας καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς εὑρισκομένων*, totus quantus ex mendaciis foedisque libidinibus est conflatus, cuius conditor non modo fabulas et secreta naturae ex ingenio

comminiscatur, sed subscriptores etiam et auctores nemini compertos per licentiam exsculpserit. Ac subinde dubites an homo vanus lepidas fabellas ex animi sententia protulerit: adeo serius et religiosus ubique est et bonam simulat fidem. Accedit quod huius fabricae constanter eadem ratio est et narratio de causis nominum et mirificis lapidum viribus: ut qui unum caput norit, totius opusculi decursum certo praesumat. Porro hominis cerebellum arguit aequabilis et angustissimus formularum vocabulorumve orbis; scilicet scriptor infans semper ex eadem dicendi consuetudine pendet: itaque huius observatione Wyttenbachius facile locos emendare potuit et supplevit mancos. Quodsi fraudem testium commenticiorum spectamus, eadem recurrit in libello historico, qui sub titulo Parallelorum Graecorum et Romanorum in Plutarchi corpus irrepsit; eamque causam habuit Is. Vossius, ut Parallela et congeriem de fluminibus ad eundem auctorem revocaret. Porro dubitari potest utrum Graeculus nugator totam materiam suo Marte confinxerit et in loculos certos digesserit, an partes insanae sapientiae ab aliis disseminatas primus callide concinnaverit. Saltem ea pars huius opificii, quae versatur in artibus gemmarum occultis et divinis, profecta est a theurgis, qui superstitiosam doctrinam saeculo quarto studiosissime excoluerunt: v. Comment. de Dionysio p. 506. Nec desunt indicia mysticae doctrinae vel theurgiae passim sparsa: velut quae de haruspicina in extis hominum leguntur, vel a sacris Bacchicis sumptum illud 5. p. 12. *τὸν μὲν πατέρα δήσας πλεκτῷ ἐρίῳ*, quod secus interpretatur Lobeckius Aglaoph. p. 275. Fictis autem testibus historiae fabularis aetatem Byzantinam esse usam sciunt, qui Malelae Chronicon triverunt aut Scholia Odysseae. Sed auctores subditi rerum curiosarum primum apparent in hac ipsa collectione pluribus lecta. Velut e duobus capitibus libri de Fluminibus hausit Io. Lydus de mensib. III, 8. (cf. Anonym. in Boisson. Anecd. I. p. 417.) *Δέρκυλλος δέ φησιν ὅτι γεννᾶται ἐν τῷ Ὑδάσπῃ ποταμῷ λίθος λυχνὶς καλούμενος· οὗτος σελήνης αὐξομένης ἦχον* (adde *ὑπὸ*) *μελῳδίας ἀποδίδωσι. καὶ ἐν Ἀράρει δὲ τῷ ποταμῷ τῆς Κελτικῆς*

τίκτεται ἰχθὺς, κλοπίαν αὐτὸν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσιν, ὃς αὐξομένης τῆς σελήνης λευκὸς γίνεται, μειουμένης (δὲ) μελαίνεται. Clariora tamen vestigia custodivit Stobaeus: is enim e scriptore de Fluminibus et Parallelis minoribus non solum easdem observationes totidem litteris decerpsit, sed magnam etiam partem eorundem auctorum appellat. Hinc sequitur istas nugas, quas nomini Plutarcheo subornarunt, opinione maturius intra quartum quintumve saeculum in ordinem esse redactas. Cuius autem regionis popularis eas composuerit, non tutum est divinare, nisi quis ex certis scriptoris vocabulis ac significatibus ausit coniectare: ut ταῖς βασιλείαις more lapidis Rosettani (v. Drumannum p. 230.) de diadematis regum Asiaticorum p. 40, 26. dixit, ubi Wyttenbachio mirere commentum τοῖς βαλανείοις arrisisse.

Plutarchum igitur de Fluminibus unus servavit codex Palatinus, sed mire depravatum et omne genus mendis repletum, quarum magnam partem suscepit ed. prima Gelenii. Multos errores deinde sustulit Maussacus, plures Wyttenbachius, diligenter notando formulas signatas et proprietatem elocutionis. Iam etsi liber plurimas habet lituras et voces tenore suo destitutas vel alias significationes curae secundae, pleraque tam sunt vitiosa, ut chartas ista lectionis varietate cumulare hominis fuerit otio abutentis. Quicquid autem aliquem usum vel gradum probabilitatis prae se ferret, id totum Bastius locis opportunis per Ep. Criticam memoravit. Qui semel tantum fallebatur, cum p. 74. Wyttenbachii coniecturam περιερχόμενος codice firmari narraret; sed hic p. 21, 6. retinuit ἐρχόμενος. Itaque nihil annotandum praeter ἀναγάγῃ p. 31, 3. quod praestat vulgato ἀγάγῃ, et 39, 9. ὃν h. e. ὃ syntaxi consentaneum; porro 40, 26. ὃ . . . χρῶνται tali scriptori relinqui malim, contra 49, 7. ἀγωγῆς eo valet, ut editum Σώστρατος ἐν ά μυθικῆς ἱστορίας συναγωγῆς refingamus Σ. ἐν ά μυθικῶν ἱστοριῶν συναγωγῆς. Ceterum p. 9, 19. στέγων τῶν ἐρώτων quod audacter correxerunt σ. τοὺς ἔρωτας, sanum videtur, modo pro ratione scriptoris τὴν ὑπερβολὴν excidisse sumamus: etenim libellus multas perpessus est lacunas, idemque iacturam etiam unius paginae fecit.

6. Chrestomathia Straboniana.

Epitome, si quidem ambitum spectamus, satis ampla (quippe paginas 229. apud Hudsonum implens); sin usum excerptorum et prudentiam breviatoris, perexiguum habet pretium ac raro confert ad Strabonis emendationem: ut in plerisque partibus ea citra damnum carere possimus. Nimirum huius opifex more saeculi decimi, quando studia librorum grandium et illustrium breviandorum inter Byzantinos fervebant, maligna brevitate thesaurum ditissimum in angustias coegit, cumque pleno Strabonis exemplo uteretur, homo mediocri iudicio multum diversus ab auctore Epitomes, quae in codice Palatinae Bibliothecae nunc Vaticano continetur, res exquisitas parca manu delibavit, nec solet locos paulo copiosius persequi, in quibus aut supplementa ministrare licuit aut orationem mancam resarcire. Hinc perpauca suppeditavit in mutilo fine l. VII. atque omnino contrahendis vel mutandis verbis faciem operis Straboniani vehementer pervertit. De quo monuit Cramerus comment. de codd. Strab. p. 24. sive in praef. Strab. T. I. p. 42. sq.

Chrestomathiam istam unus servavit Palatinus, in hac quoque parte satis mendose descriptus, quem satis fideliter in edit. Basileensi Gelenius expressit. Ingentem tamen mendorum vim collato Strabone cum alii sustulerunt, tum Casaubonus; quamquam hi iusto longius progressi sunt in supplementis obtrudendis: ut p. 125, 27. *ἔτι δὲ Ἕλος καὶ Ἑλεὼν [ἐκλήθησαν, διὰ τὸ ἐπὶ τοῖς ἕλεσιν ἱδρῦσθαι·] νῦν δὲ ἠπείρωνται.* At sublatis emplastris sana redit sententia: Plataeas, Helon et Heleona, loca quondam paludibus vicina, hodie in locis mediterraneis extare. Longe saepius singulae voces praeter necessitatem inculcantur: ut p. 206. extr. *Συρία* post *Κοίλη*. Ex eodem igitur Palatino hodieque largam scripturae discrepantiam repeti posse quispiam coniectet, motus Bastii voce Ep. p. 47. „Singula transeo, ne tanta scripti amplitudine epistola haec nimium extendatur.“ Atqui mediocris est proventus codicis, si quis demptis erroribus, quos aut ed. pr. repraesentat aut Hudsoniana cumulavit, id genus

emendatae scripturae detraxerit, quod Graece doctus suo ingenio facile queat invenire. Iam Cramerus cum totum ab se collatum professus sit eiusque paulo meliores scribendi differentias afferre soleat, nobis sufficit tanquam in tabula delectum variarum lectionum proposuisse, praesertim earum quae vulgatis praestent. Ceterum librorum divisio differt ab Hudsono.

L. I. p. 2, 5. *ἀψόῤῥοον* in litura. 22. *αὐτῇ*] *ἡ αὐτὴ* P. 3, 21. *τῶν ἐπιγείων*. 6, 21. *ἐσκοτισμένους*. 7. extr. *στυφελίξει*, ab vero proxime. 8, 2. *τοῦ* addit ante *Λευκονότου* cum Strab. 10, 20. *τῇ* adde ante *Ἰταλίᾳ*. 12, 22. *ῥέει*. 12. extr. editores interpolarunt textum Homero sive Strabone abusi sic: *περὶ οὗ λέγει Ὅμηρος· Οἷος Νήρικον εἷλον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον, Ἀκτὴν Ἠπείροιο*. Horum vices Pal. *περὶ οὗ λ. Ὅμηρος· Ἀκτὴν Ἠπείροιο, Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων*.

L. II. p. 22, 9. post *καλεῖται* Pal. *τὸ δὲ πρὸς ἀνατολὰς τὸ μὲν Αἰγυπτικόν, τὸ δὲ Σ.*

L. III. p. 25. extr. *οἱ* addit Pal. ante *Ἴβηρες*. 26, 10. *Βαίτιος*. 27, 11. *λαγιδέων*. 29, 2. *ἔχοντα* quod inculcarunt Pal. praebet post *πολύ*. 32, 12. *ἐπιτείνονται*. 34, 23. *ἔστιν πεδίον*. 35, 6. *τὰς* addit Pal. ante *ψήφους*.

L. IV. p. 47. extr. *πάπυροι*. 48, 4. *ὑπὸ τῆς θαλ.* 50, 22. *Σινοέσσης*, item 51, 19. recte *Βρεντεσίου*. 56, 18. *ἐπὶ τοσοῦτον μὲν γὰρ* Pal. 57, 5. *ἡ* adde ante *Ποσειδωνία*.

L. V. p. 58, 4. *κατεπόντωσαν*. 59, 27. *Τυῤῥηνικῷ*. 63, 14. *ὅς γε*. 65, 29. *ὁ Κρότων*, item 66, 24. *τῷ Κρ.* 66. extr. *ὑπὸ Κροτωνιατῶν*. 67. extr. *ὀξυδορκούντων*. 68, 4. *βορειοτάτη*. 70, 12. *Μοργαντίνην*. 74, 14. *ἐξαπτόμενον*. 75, 28. *ὅτι* addit Pal. post *Ποσειδώνιος*. 78, 22. *Βρεντεσίας* Pal. inter versus. 25. *ἀνταίρων*.

L. VII. p. 81, 8. *καὶ μορφαῖς*] Adde *καὶ ἤθεσι*. 82, 30. *δι' εὐπετεστέρων* m. sec. 85, 18. *ἐν Ἀθήναις*] *ἐν Ἀθηναίοις* Pal. recte. Sub finem *ὁ ὑδάσπεω*: voluit *ὁ Ὑστάσπεω*. 87, 28. *ἢ καὶ τοῦ πάχους τοῦ ἀέρος ἐκθ.*] Sic ad Strabonem exegerunt scripturam Pal. *ἢ καὶ ἀέρος ἐκ τοῦ πά-*

χους τοῦ ἑ. Debuerant vero, *ἢ καὶ ἀέρος ἐκ τοῦ πάχους ἐκθερμαινομένου.* 96, 26. *νησίδες.* 101. extr. inverte *τὴν Ἀμφιλοχίαν καὶ τὴν Αἰτωλίαν.* 105, 3. *Πειρίθους.*

L. VIII. p. 119, 3. *τὸ κρίμνον* Pal. recte.

L. X. p. 132, 29. *οἱ* adde ante *ἀδελφοί.* 133, 1. *ἔπεισαν αὐτοὺς*] Praestat cum Pal. *ἔπεισαν τοῦτο.* 136, 1. *Κυμήνην*] Lege *Κυβήβην* cum Pal. 137, 6. post *χρώμενοι* olim Pal. *ὅτι Κρῆτες τὸν μὲν ἐραστὴν φιλήτορα καλοῦσιν, τὸν δὲ ἐρώμενον κλεινόν· ποιοῦνται δὲ τὰ παιδικὰ δι' ἁρπαγῆς, οὐχὶ πειθοῖ.* Quae vetusta manus delevit.

L. XI. p. 140, 17. *ὁ μέγας Ῥομβίτης*] *εἶτα Ἀττικίτης· εἶτα ψάτης* addit Pal. 150, 23. *ὁ Ταναΐτις.*

L. XII. p. 156, 2. *Ἀρμενίων.* 157, 18. *οἱ* post *ὅτι* add. 160, 11. *Οἵ γ' ἐξ*] Lege cum Pal. *Οἵ ῥ' ἐξ.* 14. *θεοειδής* om. Pal.

L. XIII. p. 165, 24. Corrige *Γρᾶς* cum Pal. 175. extr. *δ'* recte om. Pal. 182. extr. *μόνων.*

L. XIV. p. 185, 5. *Παρθενιάς*] *Παρθενία* Pal. et Par. recte. 187, 31. corrige *τοιοῦδ'.*

L. XV. p. 194. extr. adde *καὶ* ante *ξενισθέντος.* 196. addit *τῷ* ante *δήγματι* cum Par.

L. XVI. p. 204, 15. *τὸ τοῦ κωμικοῦ* recte Pal. 206, 6. *οὗπέρ*] *ἧπέρ* Pal. *ἥπερ* Par. h. e. *ᾗπερ.* Hoc loco augendus Strabo, qui p. 747. tantum praebet, *ἥπερ ἐστὶν ἀρχὴ τῆς Μεσοποταμίας.* 207, 28. *ἔτρεφεν* cum Paris. 210, 21. *ὅρια*] *τὰ ὅρια* Pal. Par.

L. XVII. p. 223, 15. *τὰ* ante *Νάπατα* Pal. cum Par. itemque 224, 7. *τοῦ* ante *Νεῖλον.* 224, 22. *ἰδίως*] *ἰδιώτας* praemisit Pal. cum Par. recte.

Quod Parisinum passim attuli, serius ex Bredovii schedis intellexi superesse codicem, quo partes Chrestomathiae Strabonianae ex diversis libris decerptae contineantur. Is liber est Parisinus 571. post Isidori Mansiones Parthicas nulla sub inscriptione describens Chrestomathiae particulam novissimam inde ab l. XVI. p. 206. usque ad finem, deinde per

saturam miscens paginas nonnullas l. VII. ordine inverso, hinc l. XII. XIII. et sequentium usque ad ipsam p. 206. unde reditus fit ad l. XI. Isidorum postquam Millerus, exiguo quidem cum fructu, comparavit, nos in solis excerptis Strabonianis subsistemus, sic ut omissis et scripturis codicis Palatini sive editionis Basiliensis et erroribus exempli Hudsoniani, si forte ab iis liber immunis sit, et apertis mendis ea tantum commemorentur, quae criticum afferant usum aut verisimilitudinem habeant. Quamquam pauca maioris sunt momenti.

L. XVI. p. 207, 2. ἔχει μὲν γὰρ πολλὰς π. 208, 29. ὡς ante ἐπὶ Αἴγυπτον om. 209, 11. ἡ ante Αἴγυπτος om. Sub finem τὸ ἀνατολικώτατον, recte. 210, 6. δ' (cum Pal. m. pr.) addit post ὠνόμασται, item 21. τὰ ante ὅρια. Ib. 11—14. Ὅτι τὸ — Πηλουσίου πόλεως om. 211, 11. κολύμβου] κολυμβᾶν. 212, 12. ἐξ Ἁρμόζοντος ἄκρον. 213, 2. quod mireris, additamenta editorum hunc in modum confirmat, ταῖς μὲν ἀμπώτισιν ὅλα καὶ ὑπερφανῆ γινόμενα, ταῖς δὲ πλημμυρίσιν ἔσθ' ὅτε κτλ. Deinde ἐπιγένεσθαι: quo firmatur emendatio ἐπιτείνεσθαι. 214, 3. ἐκλείπωσιν. 12. καὶ γὰρ] καὶ add. 16. φησὶν om. Sub libri finem: Ἕτερον βιβλίον. Περὶ Λιβύης.

L. XVII. p. 215, 3. ἐστὶ πόλεων, recte. 9. οἱ ante Αἰγύπτιοι. 216, 17. νησιάζουσα] Rectius νησίζουσα. 32. πληθύνει. Dein ὁ ante Καμβύσης. 217—218. Ὅτι τὴν Ἀλεξάνδρου — Βροῦτον καὶ Κάσσιον om. 218. extr. Ὅτι ἐν Μομέμφιδι — βοῦς om. 219, 12. ἔτη τρία] ἔτη ιγ' cum Strabone. 16. Ὅτι ὁ Ἆπις — τῷ σχήματι om. Sub finem lapsu librarii exciderunt τυχὸν δὲ καὶ οὐχ οὕτως ἀλλὰ χωρίς. 220—221. Ὅτι ἐν Ἀρσινόῃ — ἄλλοι δ' ἄλλο τι om. 221, 16. ἡ om. Infra καὶ οὐχ ὥσπερ et quae sequuntur usque ad φθείρεται om. 223. extr. invertit ταύτῃ ὁ Νεῖλος. 224, 4. memorabilis confusio nominum ποταμῶν et πόλεων. 225, 12. καὶ om. 24. παρ' ἡμῖν μὲν ἀετοῦ μέγεθος, ἐν Αἰγύπτῳ κολοιοῦ ἔχει. 227, 7. χωρεῖν. 228, 9. πόλεις μὲν εἶχον.

L. VII. p. 100, 11. πόλεως διορίζοντι. 21. τῷ Αἰγαίῳ πελάγει. 32. εἶτα]

καὶ 35. Κυκλάδες] Accedit νῆσοι. 101, 3. ὁ τούτων παράπλους σταδίων ἐστὶ ,αρ'. Cessat in περατοῦται, hinc revertitur ad p. 89. ubi 16. Σύμβολον. 26. Corrige ἀντικρὺ Παφλαγονίας. 90, 1. ἐπὶ τὸ στόμα. Cessat in ἐμπόριον (sic etiam p. 86, 20.) τῶν βαρβάρων, rediens ad p. 84. ubi 19. νῦν recte deleto habet ἐνομίζετο, non ἐκαλεῖτο. 27. τὴν χρ. κτ. In extrema pagina locum mancum sic formavit: περὶ τούτων Δαρείῳ βασιλεῖ τῶν Περσῶν γράφων. 85, 4. Γετῶν] Κελτῶν. 6. τῶν om. 11. Γέταις] ἔχεται: utroque facile caremus. 17. τὸ δὲ πρὸς δυσμὰς Δάκοι καὶ Δαοί. 86, 3. Ἴστρον] Addit ποταμοῦ. Desinit in ἴσμεν: sequitur particula l. XII. (ubi p. 158. recte ἐλαιόφυτος) et l. XIII. XIV.

L. XIV. p. 187, 15. Γορτύνῃ. 17. ὁ Ἀσκληπιὸς γεγέννηται. 189. extr. σταδίων ἐστὶ (in litura) ω. 190, 14. Ἀρτεμισία κατώμνῳ ἀνδρὶ κ. Voluit Ἑκατόμνῳ.

L. XV. p. 193, 6. ῥυεὶς] ῥεῖ. 196. extr. ἐν τῷ δήγματι, καὶ omisso ante ἐκπίπτειν. 197, 3. Σιλίας cum Strabone. 6. πτηνόν. 198, 14. καὶ γὰρ καὶ μ. Dein ὑπὲρ λαγωόν. 199, 13. ἐπιτηδεύουσιν] Accedit ἔργῳ. 19. Corr. γένη ἐστίν. 200, 17. Ὅτι] Accedit οἱ. 201, 27. ἀπορούντων] ἀπορροῦντας, quod recipiendum. 32. ἐς τὸ κάτω τὴν ἔνδοσιν.

L. XVI. p. 203, 9. ἕως Ἀμάνου. 205, 2. τροφὴ γίνονται.

7. Palladius de Brachmanibus.

Desinat narratio nostra in Palladium, scriptorem tam ingenio quam elocutione mediocrem: quo si meliorem nancisci licuisset, profecto non homuncionem istum in manum sumpsissemus. Sed quoniam hic scriptor paucorum in notitiam venit et rarissimus est, quippe bis excusus, primum ab Io. Camerario, dein ab Ed. Bissaeo, qui Camerarium ignorans principem editorem se professus est Lond. 1665. et 1668. primo folio mutato: fortasse non absonum fuerit brevi memoriam eius instaurasse. Nam inter recentiores neminem inveni qui librum adhibuerit nisi Schneiderum Saxonem in Commentariis Aristot. de H. Anim. T. IV. p. 475—

478. Is fabulas de miraculis Indiae ab auctoritate Ctesiae fluxisse monet, exemplis etiam quibusdam demonstrans indidem peti posse, quibus commercia et mercaturae Aegyptiorum et Indorum illustrari queant. Iam Palladium Galatam diutius in partibus Aegypti desertis versatum, ad episcopi munus evectum perhibent, eundemque Ioannis Chrysostomi familiaritate usum cum alia composuisse, tum historiam Lausiacam. Apparet tamen incertis coniecturis niti, quae theologi hunc unum in Palladium cumulare soleant, nec quicquam affirmari posse praeterquam ineunte saeculo quinto decessisse Palladium. Huius igitur sub nomine fertur liber *περὶ τῶν τῆς Ἰνδίας ἐθνῶν καὶ τῶν Βραγμάνων*, vel potius collectio fabularum de natura locorum Indicorum coniuncta cum narrationibus de Brachmanum et Alexandri M. congressu. Nempe rumores de Gymnosophistarum ac Brachmanum sapientia fluxerant ab vetustissimis rerum Alexandri scriptoribus, nominatim Onesicrito (v. Geieri Alexandri M. historiarum scriptores aetate suppares p. 90. sqq. 379. sq.), qui apud Palladium perperam *Ονησικράτης* p. 21. et 25. dictus: itaque sophistae in rhetorum scholis nihil antiquius habuere quam ut Dandamem et Calanum Gymnosophistas ceterosque eiusdem disciplinae signiferos pulchris sententiis et omnis humanitatis flosculis instructos ornarent. His similis est Palladii liber bipartitus, qui paginis undecim tanquam praefatione quos rumores de gentibus et mirifico Indiae proventu percepisset complexus est, reliquum autem libri ambitum confabulationibus regis Macedonici cum Brachmanibus sive nugis loquacissimis destinavit. Itaque longe maxima parte facile careremus, ut quae consuetas disputationes verbosius explanet. Quamquam etiam superior particula prodit res aliunde compertas: velut tota fere narratio p. 7—10. mutatis tantum vocibus ac membris recurrit apud Cedrenum, Hamartolum chronici compilatorem, quem Cramerus Anecd. e Bibl. Pariss. T. IV. edidit, Suidam, alios, de quibus comparandus Alterus *Miscellaneen* p. 12. sqq. Horum pleraque praeisse videtur **Craterus** nescio quis, cuius epistolam de mirabilibus Indiae omni fabularum genere plenam commemoravit Strabo XV. p. 702.

Hunc igitur Palladium omni genere vitiorum inquinatum dedit Bissaeus, usus codice Britannico; idem tamen quaedam in folio singulari correxit, plerumque firmatus auctoritate libri Parisini. Deinde Bredovius (v. Epp. Parisin. p. 108.) non modo codicem Paris. 1597. olim a Ducangio usurpatum, foedis illum mendis scatentem et raro meliorem editis, admirabili patientia comparavit, sed Latinum etiam interpretem Palladii, qui apud Bissaeum post S. Ambrosii tractatum de moribus Brachmanorum in pp. 85 — 103. extat, cum Paris. 2495. A. diligenter contendit et alterum nondum editum e MS. 4886. descripsit. Et hi quidem interpretes alius alium nunc ineptiis nunc melioribus orationis Graecae scripturis vincunt; longe tamen concinnius exemplar secutus est Ambrosius, qui Palladium reppererat aut uberiorem aut satis castigatum. Exemplum praebet luculentum p. 3, 15. ubi MSS. vehementer deficiunt. Graecus igitur codex in difficillimis locis nos destituit, nec dubium quin pleraque sola possint coniectura profligari, praesertim ab eo qui pravum sermonem labentis aevi cognitum habeat.

Haec simul cum delectu variae lectionis absolveram, cum in memoriam redii Callisthenis, quem Arriani Dübneriani comitem et appendicem primus edidit Car. Müllerus Paris. 1846. Apud Callisthenem igitur, qui historiam Alexandri Magni romanensem in fabulam transfiguravit, quaestiones ab rege Brachmanibus propositae III, 5. 6. extant, incerta tamen sede per librarios (v. Müll. p. 88. sive XIV.) iactatae: ut facile suspicemur istud ornamentum recens accessisse. Verum ista promiscua sunt nec multum habent momenti; contra quis satis miretur iis totum et integrum Palladium potuisse subtexi, quem et amici compellatio et uberior Indicae sapientiae tractatio plane seiungat ab reliquis argumentis? Atqui Callisthenis liber optimus Saec. XI. (Paris. 1711. sive A.) scriptus, qui Georgium Syncellum aliosque chronicorum conditores cum rebus Alexandri M. sociavit, duobus illis capitibus universam Palladii narrationem (p. 102 — 120.) subiecit. Quocirca non dubium videtur quin Palladius, quem casus

tanquam privum scriptorem in lucem protraxit, certum suum locum obtinuerit inter opuscula secundaria, quae rebus Alexandri decorandis aetas hominum Byzantinorum invenit. Adde quod recens etiam codex C. eiusdem capita 12—16. decerpsit, cui Müllerus obtemperare solet. Sed de hoc alii viderint; illud gravissimum et cummaxime notandum, praestantissimo codici Parisino et industriae Mülleri hoc deberi, sermo Palladianus ut plerumque castigatus et ab turpissimis interpolationibus immunis fere citra offensionem legi queat. Etenim interpolatorum licentia longius processit quam in tali scriptore quisquam expectet. Velut olim p. 7. legebantur, *Οὕτως δέ φησιν ἐν τῇ ἑξαετίᾳ ἠδυνήθην πλεῖστα ἐκ τῆς γλώσσης αὐτῶν σημειώσασθαι, δι' ὧν καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη μεμάθηκα:* quorum nunc purior est oratio talis, *Οὕτως δὲ ἠδυνήθην ἐν τῇ ἑξαετίᾳ πολλὰ ἐκ τοῦ κατὰ μέρος τῆς γλώσσης αὐτῶν μαθεῖν καὶ τὰ παρακείμενα ἔθνη.* Porro haeret etiamnum additamentum *οἱ μῆνες ἐκεῖνοι* p. 9. (105.) item inficetus sermo p. 17. (107. f.) *οὐ πολλοὺς λόγους λέγοντες καὶ σιωπῶντες*, ubi debuit cum A. *οὐ πολλὰ λέγοντες σιωπῶμεν τοὺς πολλοὺς λόγους*, aut amplior lacinia p. 20. f. (109.) *ὃς ἐν ὕλῃ ἀνάκειται ἐπὶ φύλλοις, ἐν εἰρήνῃ ἐγγὺς ἔχων πηγήν* (vulg. *ὃς εἰρήνην ἐγγὺς ἔχει πηγήν*) *κτλ.*, quae omnia perperam ex insequentibus irrepserunt. Quo magis optandum erat ut Müllerus ad fidem libri sui paulo severius omnia exigeret pleniusque Bissaei scripturas enotaret. Subsistam in duobus locis; quorum alterum p. 2. (102.) sic edidit, partim ope coniecturae: *Καὶ ἀγρίῳ καύματι ληφθεὶς τοιούτῳ ὄντι, ὥςτε τὸ ὕδωρ ἐκ τῆς πηγῆς ἀναβλύζον ψυχρότατον εἰς ὑπερβολήν, ληφθὲν ἐν ἀγγείοις παραχρῆμα ἀναυράζειν.* At A. *Καὶ ἀγρίῳ κ. ληφθεὶς ὡς τοῦ ὕδατος . . ἀναβλύζοντος ψυχροτάτου εἰς ὑ. καὶ ληφθέντος ἐν ἀ. π. ἀναυράζοντος:* quam structuram cum agnoscat etiam Bissaei codex, apparet restitui oportere, *Καὶ ἀγρίῳ καύματι ληφθείς, ὡς τοῦ ὕδατος τοῦ ἐκ τῆς πηγῆς ἀναβλύζοντος ψυχροτάτου εἰς ὑπερβολήν, καλυφθέντος δὲ ἐν ἀ. π. ἀναβράζοντος.* Alter sit p. 6. (104.) sic vulgatus: *Καὶ οὔτε ἐκεῖνοι ἐδέχοντο τὴν ἀπολογίαν τὴν ἐμήν —· οὔτε δὲ ἐγὼ τὰς παρ' ἐκείνων εἰς ἐμὲ γινομένας ἐγνώριζον εὐθύνας, οὐδὲ γὰρ τὴν γλῶσσαν αὐτῶν ἐπιστάμην, μόνον δὲ*

ταῖς διαστροφαῖς τῶν ὄψεων ἀλλήλων ἐστοιχοῦμεν —, ἐγὼ μὲν τὰς ἐκείνων ἐγκληματώδεις φωνὰς ἐκ τοῦ ὑφαίμου τῆς χρόας τῶν ὀφθαλμῶν καὶ τοῦ ἀγρίου τρισμοῦ τῶν ὀδόντων· δι' ὧν κινήσεων τὴν τῶν λεγομένων παρ' αὐτῶν δύναμιν ἐστοχαζόμην. Orationem satis impeditam primum iuvat A. ignorans δι' ὧν κινήσεων: quibus eiectis non modo membrum sanissimum efficitur, ἐγὼ μὲν . . ἐκ τοῦ ὑφαίμου — τῶν ὀδόντων τὴν τῶν λεγομένων παρ' αὐτῶν δύναμιν ἐστοχαζόμην, sed priorem etiam accusativum τὰς . . φωνὰς perperam invectum addiscimus. Iam in praegressis nescit A. γινομένας et εὐθύνας, infra praebens ἐπὶ τῶν αἰγλημάτων ταῖς παρ' ἐκείνων ἐκ τοῦ ὑφ' ἐμοῦ τῆς χρόας: quae quamvis vitiata prorsus arguunt diversam superioris membri scripturam ad sedem ut fit alienam commigrasse. Nempe haec fuere Palladii verba: οὔτε δὲ ἐγὼ τὰς παρ' ἐκείνων εἰς ἐμὲ ἐγκληματώδεις φωνὰς ἐγνώριζον, οὐδὲ γὰρ — ἐγὼ μὲν ἐκ τοῦ ὑφαίμου et quae sequuntur supra expurgata. Verum pauca sufficiant: non enim libet in levioribus immorari, ut quod in exordio τὰ ἀκροτήρια positum est, ubi recipi debuit ex A. τὰ ἀκροθίνια, vel p. 14. (107.) ἤρκησε, quod vel P. correxit. Ceterum idem Müllerus varias lectiones interdum commemoravit, quas ex codice nescio quo marginibus Bissaeanae homo doctus asperserit. Bonam tamen earum partem opinor ex illius ingenio fluxisse; nec post Parisinum A. magnus harum copiarum usus fieri potest.

Nos vero cum aliud agamus, satis erit apparatum criticum auxisse qualibuscunque supplementis. Nam Paris. 1597. fugit Müllerum. Quamobrem paucas huius libri varietates, quas integras proferre putidae foret diligentiae, ex annotatione Bredovii decerpere libet.

Pallad. p. 2. ταχυτάτου] ψυχροτάτου P. A. probabiliter. 3. ἀκηδείᾳ ληφθεὶς ἐκίνησεν οὕτως] ἀκηδίᾳ ληφθεὶς ἐκίνησεν οὗτος (cum A.) P. recte: ubi οὗτος pro more citerioris aetatis abundat, ἐκίνησεν autem praeeunte Polybio significat id quod est proficiscebatur, v. Meinekii Com. Vol. IV. p. 524. Porro Ἀδουλὴν — ἣν καὶ βασιλίσκος P. 4. Μανιόλεις P. voluit Μανιόλαις. Hoc A. ex quo Müllerus ὃ ἂν ἐπέλθῃ: debuit ᾧ ἂν scil. λίθῳ. ἄνευ

σιδήρου ἐν πιούροις] ἤ. σ. ἐπιούροις P. Occupaverat Bissaeus. Significantur clavi: quam notionem Hemsterhusius erudite in Hesych. v. Ἐπίκουροι muniit. Sed A. ἐπουρίοις: unde nollem duxisset Müllerus ἐπιουρίοις. ἔχει δέ φασι] Lege cum P. A. φησί, hoc est, ὁ Σχολαστικός. οὔτε ἄμπελος ὀμφακίζει οὔτε τρυγᾶται] οὔτε ἄ. ὀμφακίζῃ οὐδὲ τρυγᾶται P. Perversus sermo sententiam evertit ab utroque interprete copiosius expressam, item ut ab inedito: *Sub uno enim tempore eadem in arbore, dum alter ramus in flore est, alter venturae maturitatis colore variatur, alterius vero fructus metuntur.* Huic respondet eximia scriptura cod. A. ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ (φησίν) ὃς μὲν ἀνθεῖ κλών, ὃς δὲ ὀμφακίζει, ὃς δὲ τρυγᾶται. 5. πλοιαρίους] πλοιαρίοις P. Viderat Bissaeus; qui paulo post refinxerat etiam vitiosum νεανισκοί. Sed πλοιαρίῳ A. Θηβαΐδων] Βιθσάδων P. Βισάδων et Βισάδες A. Cf. Schneid. in Aristot. H. A. T. IV. p. 477. Qui sub paginae finem μελανοκέφαλα monuit ex utraque conversione mutandum esse in μεγαλοκέφαλα. Edidit Müllerus. 6. ἐστοιχοῦμεν] ἐστυχοῦμεν P. Praegressum ἀλλήλοις requirit συνεστοιχοῦμεν. Dein quod subsequitur ὡς γνώριμα σημεῖα structura iubet refingi ὡς γνωρίμῳ σημείῳ. τρόπον] τρόμον P. cum A. 7. ἔθνη] ἔθη P. qui deinde mendum Ταβρόνῃ sustulit, animadversum Bissaeo. 8. διευκρινεῖν] διακρίνειν P. 9. εἰσὶν τοῦ Γάγγου] ἐντεῦθεν ante τοῦ Γάγγου inserit P. cum A. confirmatum ab Suida v. Βραχμάν, cuius narratio purior est et integrior. Infra τὰ ἀντίσσομα (τὰ ἀντίσωμα P. τὸ ἀντίσωμα A.) praegressum ἀντιστήσαντες δ' ἀλλήλων iubet refingi in τὸ ἀντισήκωμα. 10. τοῖς ποταμοῖς] τοῖς τόποις veram scripturam ex anonymo interprete Schneiderus eruit. Praestat eam A. 11. Ἀδριανοῦ μέντοι τοῦ μαθητοῦ φιλοσόφου] Ἀνδριανοῦ μέντοι τοῦ μαθητοῦ Ἐπικτήτου φιλ. P. defectum vocis explens; Ἀῤῥιανοῦ ex vestigiis A. Müllerus. Anonymus etiam interpres: *illius Arriani, qui discipulus philosophi epyacti fuit.*

In altera Palladii parte paulo meliora suppeditat P. 12. in praescriptione post τὸ κατὰ τοὺς Μακεδόνας addit ἔφη. μόνης εἶναι βασιλεὺς] εἶναι μόνης β. P. Dein τῆς addit ante γενέσεως, contra τὴν ante Ἀσίαν nescit.

καταςπεύσας] κατιππεύσας P. Itaque recte Bissaeus κατοπτεύσας. Praestat tamen cum A. expungi κατοπτεύσας πολὺν κόσμον. 14. in inscriptione τῷ βασιλεῖ om. P. A. cum Ambrosio. 15. δαπανᾷ P. 16. extr. δι' ἅςπερ P. 17. παρ' ὑμῖν δὲ οὐδεὶς φιλοσοφῶν οὐδέν, ἐὰν μὴ λαλήσωσιν] παρ' ἡμῖν δὲ οὐδεὶς φιλοσοφῶν, οὐδὲ ἐὰν μὴ λ. P. Ostendit interpres cum A. locum esse corrigendum: παρ' ὑμῖν τοὺς φιλοσόφους οὐδεὶς οἶδεν, ἐὰν μὴ λ. Alioqui placeret, παρ' ὑμῖν δὲ οὐδεὶς φιλοσοφεῖν δοκεῖ, ἐὰν μὴ λαλήσῃ. 18. οὐκ ἐλέγχουσι P. Oratio vulgata, κρείττονες ὑμῶν εἰσιν οἱ σιγῶντες, κἂν ἑαυτοὺς οὐκ ἐλέγχωσι, non modo soloecismo laborat, sed ne commodum quidem sensum efficit. Ambrosius cum vertat, *non enim se ipsos loquendo revincunt*, apparet esse restituendum, καὶ γὰρ ἑαυτοὺς οὐκ ἐλέγχουσι. Sed in modis saepe peccatum, ut p. 19. ubi προςεξεγείρει P. reliquae structurae convenienter, et 28. (112.) πίνῃς pro necessario πίνεις. 19. καὶ διψῶν μὲν ἄνθρωπος ἐπιθυμεῖ] δηλονότι cum MSS. P. ante ἐπιθυμεῖ inseruit; idemque τῆς ante φύσεως. 20. ἀνωφελὴς γὰρ ὢν ἡμῖν παραπέμπεται] Meliora P. (cum A.) ἃ. δὲ ὢν ἡμῖν παρ' ἡμῶν παραπέμπεται: *proiicitur a nobis* Ambrosius. ἐν ὕλαις] ἐν ταῖς ὕλαις P. 21. ἐγὼ] κἐγὼ P. sive κἀγώ. Müll. αὐτὸς ἐγώ. 23. τὰ δὲ λοιπὰ χρήματά τε καὶ πράγματα μετὰ μερίμνας συναγόμενα καὶ οἱ συνάγοντες αὐτὰ ἂν ἐκείνοις ἀπολλύμενοι, οὐδὲν ἕτερον ἢ λύπας παρέχειν εἴωθεν] In loco corruptissimo P. nihil nisi μετὰ μερίμνης συνάγοντες αὐτὰ ἐν ἐκείνοις ἀπολλύμενα, nec iuvant alii libri. Ambrosius breviter, *quaecunque cum solicitudine colliguntur ac pereunt.* Horum ope sententiam sic instaurabimus: τὰ δὲ λοιπὰ χρήματά τε καὶ πράγματα τὰ μετὰ μερίμνης συναγόμενα καὶ οἱ συνάγοντες αὐτὰ σὺν ἐκείνοις ἀπόλλυνται, οὐδὲ κτλ. 28. ἔνθεν καταβησόμεθα] ἔνθεν μεταβησόμεθα P. A. recte quidem. Locum tamen Ambrosius ostendit esse mutilum: *ex quo iterum si ad alia transeamus, et in aliis quoque tibi similes invenimur.* Infra post πλουτήσῃς δὲ necessarium ἡδέως P. cum A. interponit; Ambrosius: *habebis autem maximas cum voluptate opes.* Idem ἀκούῃς, non ἀκούσῃς, recte propter praegressum προςέχῃς. 29. οὐκ ἐσθίω σάρκας ὁ λέων, οὐδὲ πήσεται ἐν ἐμοὶ . . κρέα] Bissaeus cum P. οὐκ ἐσθίω σάρκας ὡς λέων, οὐδὲ σήπεται ἐν ἐμοὶ κτλ.

Accedunt Ambrosius, qui orationem legerat uberiorem, et Epitome infra descripta. Porro praebuit A. ἐν ἐμοῖς ἐντέροις ζώων κρέας. Infra καὶ φροντίδων liber. 30. extr. καὶ κατεῤῥιπαμένα] καὶ κατερριπομένα P. κατηρειπωμένα refingendum esse Hasius erudite demonstrat in Leon. Diac. p. 209. 31. Οὐκ ὠφελήσει σέ, βασιλεῦ Ἀλέξανδρε, ἡ ἐξουσία αὕτη] Lege cum P. Οὐκ ὠφελήσει σε ἡ βασιλεία αὕτη καὶ ἡ ἐξουσία. ἐπακούσῃς] ὑπακούσῃς P. λέγοντά σοι] λέγοντά με P. pro scriptoris negligentia. Müllerus tacite λέγων σοι. οὐ λήσῃ] οὐ λήσει P. Lege, ὃν οὐ λήσεις. Quamquam A. arguit interpolatum esse locum. Idem P. τούτου ἀναστάς, non τοῦτον ἀναστάς. 32. διαβαίνειν] διαβαίνων P. recte. 33. φονοῦντες αἱμάτων ἀλλοτρίων] Sic etiam P. φονῶντες A. Müllerus cum C. ἐπιθυμοῦντες. Debuerat φονῶντες καὶ ἐπιθυμοῦντες α. ἀλλ. 34. ἐνθένδε ἀπαλλαγῆς καὶ ὢν ἐν ἀέρι] Totum locum prave scripsit P. qui sub finem ἐθέρει, hoc est, αἰθέρι. Supra vidit ἀπαλλαγεὶς Bissaeus. Utrumque firmant MSS. quos sprevit editor. Contrariam rationem poscebant quae sunt in extrema pagina: πόσοις ἀρκέσῃς (l. ἀρκέσεις) ἀπολογούμενος τότε; οὐδὲν δὲ ὠφεληθείς, ἢ μέγας κληθεὶς καὶ φανείς. Ubi P. οὐδὲν δὲ ὠφεληθῇς ἢ μ. κληθῇς καὶ φανῇς, distrahens quae A. conflavit, οὐδὲν δὲ ὠφεληθήσῃ μ. κληθεὶς καὶ φανείς. 35. ἦν γάρ] καὶ add. P. A. λέγων post ἀπεκρίνατο om. P. 36. ξίφει χειρώσηται] με interponit P. ταύτην λαχόντα τῇ ψήφῳ] Ubi ταύτῃ P. Nec melius Müll. ταῦτα λαχόντι τῇ ψήφῳ. Vere Bissaeus ταύτην λαχόντα τὴν ψῆφον. Sub finem lege cum P. γεννωμένῳ: vulgo γενομένῳ vel γενομένῳ μοι. 38. οὐδὲν γὰρ ὁ θεὸς χρυσίῳ πωλεῖ] Tulit Müllerus membrum soloecum, quo caret A. εἰ δὲ] καὶ add. P. A. ἵνα τιμάσω τιμῶντα σοφίαν] Sensu cassa (quamquam emendationem suppeditat Ambrosius) restituit A. cum P. ἵνα δέ σε μὴ ἀτιμάσω τιμῶντα σ. Nempe praecesserant, quae recte praebet A. ἐγὼ γὰρ εὐεργετούμενος σοφίαν τιμῶ. 39. ἀναχέων] ἐπιχέων P. ἀνάψας ut videtur A. Dein καὶ ἦρεν ὕμνος (ὕμνους P.) corruptum est, ut solet, e καὶ ᾖσεν ὕμνον. Sic A. Porro τὸν ante κόσμον P. A. 40. ἐκπομπεύσιν] ἐκπομπεύσας P. A. Iidem τὸ τοῖς διαβάλλουσι: vulgo τούτοις διαβάλλουσι. 42. ὑφορῶ] οὐ φορῶ P. A. Ambrosius.

43. τῆς μείζονος ἁρπάζει] τῆς μείζονος ἡδέως ἁρπάξει P. τ. μ. ἴδιον ἄρξῃ A. ἀπάρξαι recte C. cui praemittendum ἥδιον. διὰ τί] δὲ addit P. 45. διαπώλολεν] Corrige cum P. ἀπόλωλεν. In pagg. seqq. multa leviora correxit P. alia corrigenda reliquit, ut p. 48. ἀνθρωπείων pro ἀνθρώπων. Non silendus tamen locus p. 47. mutilus et corruptus, ope cod. C. sic resarciendus: ἀλλ' ἵνα μετ' αὐτῶν ἕτερα θηρία διώκοντες ἀφανίσητε καὶ τὸ συγγενὲς θεοῦ ἔργον ἄνθρωπον καθυβρίσαντες καὶ δεδεμένον τοῦτον κτλ. 48. σωρεύοντές τε. πάλιν τοὺς πενεστέρους ἀποστερήσαντες] Lacunam resarsit etiam P. σωρεύοντες (sed recte C. καὶ ταῦτα ποιοῦντες — σωρεύετε). χώρας τε πάλιν τοὺς π. ἀ. 51. καί τε μὲν] καὶ ποτὲ μὲν P. recte. οἳ post καὶ Müllerus, qui debuit postmodo ἐπιθυμοῦσιν, οἳ καὶ ποτὲ μὲν κτλ. Idem P. infra δι' αὐτοῦ. 52. μυροβρέχων] μυριοβρόχων P. Repone μυροβρεχῶν, quo nomine Augustus utitur apud Sueton. 86. φιλαργυρισάντων] τῶν φιλαργυρησάντων P. A. Quamquam expectabamus τῶν φιλαργυρούντων. Idem P. errore ludicro τῶν ἀπατητικῶν pro vulgato τῶν Περιπατητικῶν: ubi τῶν Πλατωνικῶν Müll. 53. ὥςπερ] καὶ addit P. Idem mendosum ἐπ' (ὑπ') οὐδενὸς — πολεμηθῆναι correxit, infra transpositione facta ἄλλως γάρ σε οὐ δεχόμεθα ἡμεῖς. Tandem in p. 54. ἐκ καρδίας σου P. omisit σου, item σοι ante πάντα, contra τοῦ ante ἡμετέρου (Bissaeus ὑμετέρου) βίου inserens. Sub finem ζηλοῦν in ζῆν depravavit P.

Sequitur alter *Palladii interpres* vel potius declamator molestus, qui commercium epistolicum inter Alexandrum Magnum et Dindimum regem Bragmanorum omni verborum tumore fucoque sententiarum instruxit. Hunc libellum Bredovius cum optimo Parisino 2495. A. (neque enim alterum codicem 6831. Saec. XIII. memoravit, cuius indicium fecit Müllerus praef. Callisth. p. VIII.) comparavit: cuius ea est integritas in vitiis tollendis et lacunis variis explendis, ut si scriptor iste hodie renovandus esset, paucis exceptis vulgatum exemplum liceret cum Parisini lectionibus commutare. Inprimis autem ille defectus membrorum resarsit et ab editore notatos, ut vastum p. 102. hiatum, et parum animadversos, quos vix ne suspicax quidem lector odoretur: velut in p. 88. *libidini membra debilitanda non tradimus;* [nocte

non utimur ad tegenda flagitia;] *nihil facimus quod castigetur;* p. 98. *varias species formavit in mundo,* [qui nullatenus poterat sine earum diversitate subsistere,] *quarum usum humano permisit arbitrio discernendum:* ubi uncis inclusa nunc accedunt. Similiter scriptura melior efficitur p. 94. *caesis carnibus expiare,* codex *caesis carnalibus victimis expiare;* p. 101. *illa quia non videt, ista quia non habet ut cupiat,* codex *illa quia non videt ut cupiat, ista quia non habet quod optet.* Sed haec specimina sufficiant: nam codicis varietates scribendi plenas expromere alienum est.

Contra quem Anonymi libellum Bredovius e Paris. 4886. (a) adhibito cod. imperfecti 1720. (b) apographo descripsit, is cum ad emendationem et Palladii et Ambrosii nonnihil conferat, eum brevitatis causa totum censui prodendum. Diversitates scripturae non annotavi nisi difficilioribus in locis; pusillas vel apertas mendas tacite removi.

Commonitorium Palladi. Mens tua quae et nova et multum discere[1]) cupit, immenso sapientiae amore succensa etiam aliud nobis opus, quod efficere debemus, iniunxit, hoc est, Brachmanorum consuetudinem vitamque monachorum. Ego quidem neque ipsos neque patriam ipsorum vidisse memini: longo enim terrarum spatio non solum ab India, sed etiam ab ea quam Sericam nominant regione seiuncti sunt. habitant tamen iuxta fluvium, quem vocant Gangem. Accessi autem ante aliquot annos usque ad summa Indiae loca cum Musaeo episcopo Dulenorum[2]), ubi cum intolerabilis aestus ardore flagrarem viderемque aquam, quae hauriebatur ex fontibus, mox fervere in ipsis quae eam susceperant vasis, continuo regressus sum, quia incendium tantum tolerare non poteram. Hic autem fluvius qui a nobis dicitur Ganges ille est, quem scripturae sacrae Fison vocant, unus de quattuor illis qui de Paradiso exire perhibentur. Talis vero fertur Alexandri Macedonum imperatoris historia, quocunque modo vitas eorum et instituta referentis. non tamen Gangem ipse transgressus erat, neque visa sed audita referebat. Tantummodo enim illam usque regionem, quae Serice dicitur, fuit, ubi ipsum sericum nascitur, et ubi lapideam sibi poni fecit columnam, in qua scripsit hunc titulum: Ego Alexander hucusque perveni.

[1]) quae et discere et multum dicere cupit a. quae discere et multum discere cupit b. Correximus ope Ambrosii.

[2]) L. Adulenorum.

Ego tamen de ipsis Bragmanis potui aliqua utcunque cognoscere a quodam Thebaeo Scholastico, qui ob hoc ipsum sponte quidem sua peregrinari voluit, in captivitatem tamen invitus incurrit. Hic ergo ut ipse referebat, cum lentioris esset ingenii in forensis advocationis officio, incongruae sibi artis taedio fatigatus cognoscere patriam desideravit Indorum et cum quibusdam senioribus navigavit. primumque Adulenorum, postea Axumitarum attigit loca; esse autem illic ac dudum degere videbatur regulus quidam parvulus Indorum. Inter quos cum consuetudinem magnam per diutinum tempus habuisset, voluit etiam ad illam insulam, quae Taprobane vocatur, accedere. in qua illi quibus Beatorum nomen est vivunt aetatem longissimam, nam usque ad centum et quinquaginta annorum perveniunt senectutem, propter incredibilem aurarum temperiem et incomprehensibilem divini iudicii voluntatem. In hac ipsa insula rex quoque maximus degit Indorum, cui omnes alii subiacent reguli, quos Satrapas vocant, sicuti Scholasticus ille nobis referebat. nam ab aliis et ipse cognoverat, neque enim memoratam insulam fuerat ingressus. Dicunt autem, si tamen vera narrant, huic ipsi insulae mille alias rubri maris insulas, quas Maniolas vocant, adiacere, in quibus ille quem magnetem nominant nascitur lapis: quem aiunt ad naturam suam[3]) ferri trahere naturam. cum igitur navis illuc aliqua fuerit appulsa clavos ferreos habens, mox illic tenetur, neque quoquam abire permittitur, cui nescio qua naturali ut supra dixi lapis impedit[4]). * specialiter naves locantur habentes ligneos clavos nulloque penitus ferro ligatos, quae ad illam insulam magnam solent transfretare. Quae tamen insula quinque maximos fluvios habere memoratur; in qua ut ille referebat nunquam poma deesse perhibentur. sub uno enim tempore eadem in arbore, dum alter ramus in flore est, alter venturae maturitatis colore variatur, alterius vero fructus metuntur. habent et dactylos et nuces Indicas grandes, habent et minutas odoratissimas nuces, quas corylos nos vocamus. Vivunt autem habitatores ipsius loci pomorum et oryzae et lactis cibo. non lanae usum nec lini illic habent, sed solis pellibus ovium confectis bene terga velantur. oves autem ipsae setarum pilis, non lanae vellere vestiuntur, habentes magnam copiam lactis et caudas admodum latas. ipsorumque quadripedum tam

---

[3]) Legendum proxime ab Ambrosio: *ad se vi sua.*

[4]) *natura illi* b. Opinor refingendum: *nescio qua naturali vi ut supra dixi lapidis impedita.* Sequitur apud Bredovium scriptura prava: *sese autem incerte specialiter* etc.

ovium quam caprarum carne vescuntur. sues autem a Thebaide usque Indiae Aethiopiaeque regiones propter intolerabiles aestus nequeunt inveniri.

Scholasticus ergo nobis illa referebat, hoc dicens: Indos quosdam, inquit, inveneram, qui de Axumitarum locis mercandi gratia navibus transfretabant; cum quibus ingredi etiam ad interiora tentavi. accessique usque ad eorum quos Bessadas nominant fines;.. apud quos et piper nascitur et colligitur. ipsa autem admodum parva et inutilis est gens, quae intra speluncas saxeas vivunt, et per praecipitia magna discurrere natura patriae edocta consuevit, piper autem cum ramusculis suis colligit. ipsas enim arbores quasi quasdam humiles ac parvulas stirpes esse dicebat. nam et ipsos exiguos quosdam et grandia habere asserit capita cum laevibus ac detonsis capillis. reliquum vero Aethiopum atque Indorum genus crispatis naturaliter comis horret. In quo ego (inquit) loco ab eo qui illic[5]) poterat correptus ac tentus sum; qui coeperat mihi (inquit) calumniari, eo quod eorum patriam solumque contingere ausus fuissem. neque illi excusationem ac defensionem meam aequis animis audiebant, neque enim poterant linguae meae intelligere sermonem, neque ego criminis causam quae mihi obiiciebatur sciebam, quia illorum verba non noveram. ex solis tantum vultibus nostris invicem nos intelligere videbamur. ego quidem ex aspectu luminum torvo et ex stridore dentium saevos motus poteram nosse verborum; illi vero ex tremore atque pallore sensus meos misericordia magis dignos suspicabantur. Tunc ergo ab ipsis occupatus et tentus sum, ac paene sexennium me in pistrino opus facere iusserunt. expensa autem regis ipsorum unius tantum frumenti modii in toto palatio ipsius erat, et ipsum illum unde exhibere consuesset se ignorare dicebant. Post sex autem annos dum paulatim ediscerem eorundem loquelam, potui multa et de vicinis nationibus locisque cognoscere. ad postremum hoc modo captivitate memorata potui liberari. Rex alter cum supra dicto rege iurgio facto insimulare eum apud maiorem illum imperatorem ipsius voluit, qui in Taprobane insula erat, dicens quod nobilem virum civemque Romanum in deterrimam captivitatem atque extremum servitium redegisset. quique illuc aliquem cognitorem transmisit, ac deinceps rei veritate perspecta protinus eum qui convictus in memorato crimine videbatur exui tota corporis sui pelle praecepit, eo quod civi Romano fecisset iniuriam. Dicuntur autem non solum fortiter[6]) et timere, tanquam qui

---

[5]) Excidit *plurimum*. Infra MS. *correptus actenus sum.* Ambrosius in hac re bis *detentus sum.*

[6]) Integram orationem praestat Ambrosius.

praeclaro ingenio ac virtute magnifica possint, si velint, ad regionis ipsorum excidium pervenire.

Ipse ille ergo et ista dicebat, quod gens Bragmanorum non ex propria voluntate saecularibus rebus renunciaret, sed quod id ex iudicio Dei ac divinitatis faceret voluntate. naturaliter enim nudi in finitimis fluvii ipsius regionibus vivunt; nulli apud ipsos possunt esse quadrupedes, nullus fructus ex terra, nullus ferri usus, nullum instrumenti genus, quo fieri aliquod opus possit. habent autem deliciosas illic atque optimas auras et saluberrime temperatas. colunt semper Deum, cuius veram quidem per cuncta notitiam scire non possunt; neque discernere valent providentiae eius divinitatisque rationem. iugiter tamen orant. orantes vero non ad orientalem partem unde est ortus sol aspiciunt, sed potius coelum intuentur. edunt autem ea quae potuerint invenire, hoc est, arborum folia et olera silvestria, pecorum more viventes. Est etiam apud illos plurimum ligni et acanthinum ibi nascitur. habent et patrias arbores quasdam nescio quos fructus ferentes, quibus vesci semper solent. Viri eorundem locorum trans fines fluminis Gangis in Oceani partibus degunt, in quem fluvius memoratus ingreditur. feminae vero citra flumen Gangem[7]) morantur, ad quas earundem mariti Iulio et Augusto mense transfretare consuerunt. isti enim apud eos menses videntur frigidiores, eo quod ad nos [sol] convertitur et supra aquilonem, quem boream vocant, vis solis erigitur. quo tempore temperati aëres magis et ad concubitum magis apti esse dicuntur. Ubi ergo XL. cum feminis suis fecerunt dies, mox ad propria revertuntur. at cum enixa fuerit uxor alicuius ediderltque unum et alterum partum, non transit ulterius ad eam eius [maritus] nec cum propria concumbit uxore. singulis enim filiis in locum proprium substitutis, per totam de reliquo ab huiusmodi coitu se abstinent vitam. si autem acciderit ut quidam sterilem sortiatur uxorem, usque ad V. [annos] maritus ipsius transit et cum propria uxore concumbit; et si gravida omnino non fuerit, mox ab eadem penitus separatur: ob quod non in magnos populos hominum eorundem diffunditur genus, propter vivendi[8]) in memoratis locis difficultatem consuetudinemque pariendi. haec ergo vita et conversatio Bragmanum. Fluvium autem ipsum cum maxima difficultate dicunt transiri propter eum quem odontotyrannum vocant. animal

---

[7]) *se Indiae partis* MS. *iuxta mediterraneas partes* Ambrosius.

[8]) *providendi* MS.

enim quoddam in supradicto fluvio esse memoratur, quod tantae magnitudinis dicunt, ut totum sicum asserum possit elevatum devorare[9]). at tempore quo Bragmani transire consuerunt non videtur in fluvio. Maximi etiam dracones esse LXX habentes per longitudinem cubitos in illis locis dicuntur. unde ego unius pellem vidisse me memini, duos in latitudinem habentem pedes. Formicam esse illic ad modum palmae hominis, scorpiones vero ad cubiti humani mensuram loquuntur. propter quae monstra periculosos ipsorum transitus esse locorum. non tamen ubique animalia ista nascuntur, sed in illis partibus tantum, quae inhabitari ab hominibus nequeunt. plurimique elephantorum illic greges dicuntur. Haec igitur quae Arriani alicuius historia, quam ego legeram, comprehendit, ad te commonitorio meo adiuncta transmisi: illius Arriani, qui discipulus philosophi epyacti fuit, quique cum ex servili genere descenderit, propter ingenium grande naturae ad philosophiae instituta pervenit temporibus imperatoris quondam Neronis, qui Petrum et Paulum interemit. Explic̄.

Specimen operae quam aetas superstitiosa in rebus Brachmanum ornandis consumpsit, praebent Epitomae quaedam Graecae, parum scienter magnam partem e Palladio compilatae. Bredovius in tribus repperit Parisinis. Harum brevissimae narrationi locum concessimus, nequid in hoc genere litterarum desideraretur; cum praesertim ea nonnihil conferat ad Palladium emendandum.

Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Μακεδόνων βασιλέως διαβάντος Μακεδονίαν καὶ τροπωσαμένου Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν, ἦλθε πρὸς Βαβυλῶνα, καὶ ταύτην δὲ εἰς οὐδὲν λογισάμενος ὑποβολῇ ἀπιστείας (l. *ὑπερβολῇ ἀπληστίας*) *ἀνῆλθε καὶ εἰς τὴν τῶν Ἰνδῶν χώραν. ἀκούσας δὲ τὰ κατὰ Βραγμάνων τῶν λεγομένων Γυμνοσοφιστῶν ἐπεθύμησε τούτους ἰδεῖν. ἔθνος δέ εἰσιν οὗτοι οὐ προαιρέσει ἀποτασσόμενοι, ἀλλ' ἔλαχον ἄνωθεν ἐκ θεοῦ κριμάτων τὴν τοῦ ποταμοῦ Γάγγου παροικίαν, φυσικῶς ἐν γυμνότητι αὐτοσχεδίῳ τε καὶ ἀτέχνῳ τροφῇ διαζοῦν* (sic), *τὸν θεὸν σεβόμενοι καὶ γνῶσιν λεπτὴν ἔχοντες, εὐχὴν ἀδιάλειπτον ἔργον ἔχοντες, τροφὴν τὰ παρατυχόντα ἀκρόδρυα καὶ λαχάνων τὰ ἄγρια, νομάδες δὲ ὄντες διὰ παντός. Τρωθεὶς οὖν ὁ Ἀλέξανδρος τὴν τούτων θέαν ἰδεῖν ἐπέτυχε τοῦ βουλήματος, τοὺς τῶν Ἰνδῶν πρωτίστους εἰς τοῦτο αὐτὸ συντρέχοντες* (sic). *ἐντυχὼν οὖν τῷ πρώτῳ αὐτῶν Δανδάμῃ ὀνόματι ἤρετο ἀκοῦσαι παρ' αὐτοῦ λόγους ὠφε-*

---

[9]) Vide Schneid. in Aristot. H. A. T. IV. p. 476.

λείας. ὁ δὲ πρὸς αὐτὸν ἀπεκρίθη· Θέλω κἀγὼ διακονῆσαι παρὰ τῷ θεῷ μου, ἀλλὰ τόπον οὐκ ἔχεις ἐν τῇ καρδίᾳ, ἵνα συγχωρήσῃς μου τὴν δωρεάν. πεπληρώκασι γάρ σου τὴν ψυχὴν ἄπληστοι ἐπιθυμίαι, αἵτινες ἐχθραίνουσί μοι σήμερον καλά σοι συμβουλεύοντι. σὺ δὲ ἐπιθυμεῖς (εἶπας mendose Pallad. p. 27. sive 111.) ἐπὶ τὸν ὠκεανὸν ἐλθεῖν καὶ μετ' αὐτὸν ἐπ' ἄλλην οἰκουμένην, καὶ λυπηθήσει, ὅταν μὴ ἔχῃς τίνα νικήσεις. πῶς οὖν δύναμαι τὴν ἐπιθυμίαν σου πληρῶσαι, ἣν οὐδ' ὅλος ὁ κόσμος ὑπηρετῶν ἠδυνήθη βαστάσαι; οὐκ ἔστιν ἀνδρεία τὸ φονεύειν· ἀνδρὸς λῃστοῦ (φ. ἄνδρας, λῃστοῦ γὰρ ἔργον ἐ. Pallad. p. 15.) ἔργον ἐστίν. ἀνδρεία δέ ἐστι πρὸς τροπὰς ἀέρων (hinc emendetur corruptela Palladii p. 16. πρὸς τὸ πάσῃ ἀέρων κράσει μάχεσθαι, ubi A. πρὸς ἁπάσῃ χειρῶν μάχεσθαι) μάχεσθαι γυμνῷ τῷ σώματι, καὶ γαστρὸς ἐπιθυμίαν κρατεῖν καὶ τοὺς ἔνδον πολέμους νικᾶν. τούτους νίκησον πρῶτον καὶ ἀπόκτεινον, καὶ οὐ χρεία σοί ἐστι πρὸς τοὺς ἔξω μάχεσθαι. τοῖς γὰρ ἔξω μάχῃ, ἵνα τοῖς ἔνδον ἀπενέγκῃς φόρους, καὶ τοὺς μὲν ἔξω νικᾷς, ὑπὸ δὲ τῶν ἔσω νενίκησαι. πόσοι βασιλεῖς καὶ τύραννοι δουλεύουσι τυραννούμενοι ποικίλαις ἐπιθυμίαις, καὶ πᾶσα δὲ βροτεία φύσις διὰ ταύτας φονεύουσί τε καὶ φονεύονται. Βραγμᾶνες δὲ νικήσαντες τοὺς ἔσωθεν πολέμους λοιπὸν ἀνεῤῥώσθησαν καὶ ἀναπαύονται. κἀγὼ γὰρ οὐδὲν ἐπιθυμῶν κακῶν ἀνθρώπων οὐκ ἀκούω, περὶ βρώματα καὶ οἶνον οὐκ ἀσχολοῦμαι, ἀλλ' ἔστιν ὁ οὐρανός μοι στέγη, γῆ δέ μοι πᾶσα στρῶμα, ποταμοὶ διάκονοι, ὗλαι τράπεζα. οὐκ ἐσθίω σάρκας ὡς λέων, οὐδὲ σήπεται ἐν ἐμοὶ ζῷα, οὐ γίνομαι τάφος νεκρῶν. Σὺ δὲ ζητεῖς, τί οἶδα ἐγὼ σοφόν. βλέπεις με γυμνὸν ὡς γέγονα, καὶ ζῶ ὡς ἐτέχθην. τοῦτο παρ' ἐμοῦ σοφόν· μηδὲν θέλε καὶ πάντα ἔστησα (l. ἐστὶ σά), καὶ οὐδενὸς δεήσει. ἐπιθυμία γὰρ μήτηρ ἐστὶ πενίας, κακῷ θεραπευομένη φαρμάκῳ. λυπεῖται γὰρ μηδέπω (hinc refingatur Pallad. p. 28. sive 112. κ. φαρμάκῳ θερ. λύπῃ, μηδέποτε εὑρ.) εὑρίσκουσα ὃ ζητεῖ, μηδὲ ἀναπαυομένη ἐφ' οἷς ἔχει, ἀλλὰ βασανιζομένη [ἐφ'] οἷς οὐ κέκτηται. πλουτήσεις δὲ ἡδέως ὡς ἐγώ, ἐάν μοι προσέχῃς, καὶ ἐὰν ἀκούσῃς μου τῶν λόγων, κτήσῃ ἐμῶν ἀγαθῶν.

Sed hercle bene factum quod in his manus epitomatoris substitit.

Superest ut illud argumentum commemoremus, quod scribendo huic libello praebuit opportunitatem. Etenim nomina commilitonum, qui in certamine litterario superioris anni victoriam reportarunt, publice renuncianda sunt novaeque in proximum annum quaestiones promulgandae.

I. Summe venerabilis Theologorum ordo quam proposuerat quaestionem, neminem invenit, qui eius causa in certamen descenderet.

II. Illustris ordo Iurisconsultorum

de dominii privati ratione philosophica

quam proposuerat quaestionem, duo comilitones solvere conati sunt; et licet neuter Ordini omnino satisfecerit, curavit tamen Ordo, ne studio in re tam difficili impenso merita laus meritumque praemium desit.

Commentationem verbis:

„Wer nicht kann was er will, der wolle was er kann“

insignitam qui scripsit, maximopere in eo versatus est, ut dominium privatum ius esse humanitati inhaerens atque ex ipsa singulorum hominum natura profluens demonstraret. Nec vero fugit eum hac sola ratione inaequalem bonorum privatorum statum satis commode explicari non posse; itaque missa philosophia missoque iure naturali ad historiam praesertim artemque politicam se convertit.

Alterius commentationis scriptor verbis

„Das Recht des Eigenthums ist das Recht der Eigenthümlichkeit“

praemissis iam indicavit, quomodo singularum personarum ius, res suas sibi habendi, legum humanarum ratione non habita, secundum divina philosophiae praecepta defendendum esset contra eos, qui perversa quadam philosophia imbuti omnium bonorum communionem aut aequalem divisionem postularent. Sententiam

suam perspicuo, licet non satis casto, usus scribendi genere bene exposuit probavitque. Dolendum tamen est quod principiis generalibus expositis speciales easque gravissimas quaestionis propositae partes plane intactas reliquit, quas prioris commentationis scriptor accurate perscrutatus est. Qui cum praeterea maiorem diligentiam et accuratius iuris studium exhibuerit, maiorem praemii partem, alter minorem accipito.

Maiorem igitur partem reportavit

CAROLUS GUSTAVUS EDUARDUS GILBRICHT,
FREISTADIO - SILESIUS,

minorem vero

CAROLUS EDUARDUS GUILELMUS BOEHMER,
STETINENSIS.

III. Gratioso Medicorum Ordini, qui tirones suos iterata quaestionum promulgatione ad ineunda certamina litteraria bis, sed frustra provocaverat, nova proposita quaestione de cerebris piscium aquas nostras habitantium oblati sunt commentarii duo, quos laetabundus veluti bono omine accepto sibi gratulatur. Auctor commentationis primae, cui inscripta sunt Goethii verba:

„Alle Glieder bilden sich aus nach ew'gen Gesetzen,
Und die seltenste Form bewahrt im Geheimen das Urbild"

in quaestione proposita studiose enucleanda atque ad finem perducenda ingenium haud mediocre declaravit. Supellectilis litterariae ad rem suam necessariae non solum notitiam valde probabilem, sed usum etiam idoneum exhibuit, atque tum perspicuo descriptionis modo, tum imaginibus, quas operi suo addidit, eleganter delineatis fidem fecit industriae, qua permultorum piscium fluviatilium cerebra rite dissecuit idque eo semper consilio, ut argumenta inde duceret maxime consentanea et physiologiam insigniter illustrantia. Denique singularem sibi meruit laudem eo, quod in commentationis fine acute sed modeste tamen de singulis cerebri piscium partibus ita disseruit et iudicavit, ut earum natura atque indoles, omni fere dubitatione sublata, luculenter patere videatur. Itaque commentatio, cuius auctor insigni litterarum copia et ingenii ubertate talem se praestitit, ut maiori cuivis labori in doctrinae commodum dehinc suscipiendo par haberi possit, summo praemio digna iudicanda est.

Altera commentatio, cuius in fronte leguntur verba Ovidii:

„Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas"

auctorem designat bonae quidem voluntatis haud expertem, sed viribus idoneis non satis instructum, primoque iam reprehendendum, quod dimidiam fere partem commentationis vernacula lingua conscripserit. Graviora tamen extant reprehensionis momenta. Etenim ad quaestionem propositam auctor plerumque non respexit, et gravissimam illius partem, qua agitur de partium cerebri piscium vera natura et indole inter se comparanda et explicanda, fere non attigit. Occurrunt etiam complura observationis vitia eaque non levia; non enim tam in dissectis ab eo cerebris instituit vel institutas auxit, quam ex libris Casserii, Collinsii, Arsackii, aliorum transcripsit observationes, quod excusari vix poterit. Patet quidem ex iis, quae ad anatomiam et physiologiam spectantia multifariam auctor attulit, se in aevi praeteriti scriptis satis esse versatum, iis tamen non ita usus est, ut ubique iudicii aciem et sententiarum veritatem expressam invenias. Adhortandus est ut etiam in recentiorum libros sedulo incumbat neque eos solummodo sequatur, quos inprimis diligere videtur; caveat quoque ne in scribendo a consilio proposito abripi se patiatur ad res, quibus nihil nisi inutilem sibi laborem et inanem libro suo molem afferat. Quomodocunque haec sint, non potest medicorum ordo quin etiam huius commentationis auctori laudem impertiat industriae graviter adhibitae, et ex studiis eius feliciter inceptis continuoque augendis laetissima capiens auguria nomen eius honorifice proclamet.

Prioris igitur commentationis scriptor apparuit:

HERMANNUS MARTINUS AUGUSTUS KLAATSCH,
BEROLINENSIS,

honorificam autem mentionem consecutus est:

CAROLUS AUGUSTUS AEMILIUS GRUNDMANN,
LIPSIENSIS.

IV. Amplissimus Philosophorum Ordo tres proposuerat quaestiones: unam de philosophia,

Praecipua Kantii de republica placita enarrentur eaque comparentur partim cum iis, quae ante Kantium inter Gallos Montesquieu et Rousseau docuerunt, partim cum iis sententiis quae postea inter Germanos invaluerunt.

Item historicam:

S. Bonifacii vita mores res gestae et consilia describantur ita, ut non solum quae ad promovendam in Germania ecclesiam christianam, sed inprimis etiam quae ad stabiliendas res publicas egerit, clarius explicentur.

Tertiam de studiis philologiae orientalis:

Demonstretur quae Phoenicum Poenorumque linguae ratio cum Hebraea intercedat, quantumque et quibus in rebus illa faciat ad illustranda Veteris Testamenti scripta.

Harum prima quidem neminem allexit. Historica tamen unum invenit, qui commentarium De vita et moribus S. Bonifacii traderet lemmate insignitum ex Ev. Matthaei 28, 19. Scriptor subsidiis suis diligenter usus si minus elegantiam iudicii et orationis, at certe laborem et industriam comprobavit. Ceterum neque interiores illorum temporum rationes indagavit aut ad ingenium Bonifacii describendum contulit, nec quicquam novi ex fontibus eruit. Nihil igitur auctarii tot libris et quaestionibus de Bonifacio prolatis inde accessit. Verumtamen Ordo modestam scriptoris diligentiam sua laude non fraudandam esse ratus praemium ei concessit; quamquam mallet haud vulgarem etiam doctrinam et facultatem sibi probari potuisse.

Soluta schedula nomen scriptoris apparuit:

THEODORUS GUILELMUS HENRICUS PERSCHMANN,
SAXO-BORUSSUS.

Tertiam quaestionem quae de Punica lingua fuit eiusque cum Hebraea cognatione item unus suscepit iuvenis, sed idoneus, qui commentationem suam exhibuit lemmate insignem Plauti Poenuli V, 1, 6. Hic tametsi non omnes quaestionis haud expeditae partes pari constantia persecutus est et in copiosa de utriusque linguae rationibus grammaticis disputatione, quam diligenter instituit, dictionibus et toti Hebraeorum antiquitati minorem impendit operam: tamen ubique his in studiis laudabiliter sese versatum ostendit atque exercitatum, nec passus est laudem sagacitatis et ingenii desiderari. Quamobrem Ordo libenter integrum praemium scriptori tribuit, eumque cohortatur ut in cursu doctrinae inchoato strenue pergat.

Itaque victor prodiit:

ERNESTUS OTTO FRIDERICUS HERMANNUS BLAU,

NORDHUSANUS.

Quaestiones in annum sequentem quattuor Universitatis Ordines proposuerunt has:

I. Summe venerabilis Theologorum Ordo repetit quaestionem superiore anno propositam:

„Ingenium et mores Philippi Iac. Speneri describantur, et quale momentum res ab eo gestae habuerint in ecclesia et theologia evangelica, exponatur;“

novamque proponit hanc.

„Exponatur dierum festorum apud Hebraeos ratio, instituta cum ceterae antiquitatis festis comparatione.“

II. Illustris Iureconsultorum Ordo hanc quaestionem tractandam commendat:

„De vi et effectu connossementi quod vocant in dominio mercium transferendo.“

Desiderat Ordo accuratam iuris communis expositionem, habita inprimis ratione eius argumentationis, quam supremum iudicium Megapolitanum amplexum est (cfr. Zeitschrift für deutsches Recht B. 9. S. 489 ff.).

III. Gratiosus Medicorum Ordo hancce proponit quaestionem:

„Exponatur pathologia et therapia tumorum, qui sub forma et nomine polyporum occurrunt.“

IV. Amplissimus Philosophorum Ordo quaestionem de philosophia sumptam repetit:

„Praecipua Kantii de republica placita enarrentur eaque comparentur partim cum iis, quae ante Kantium inter Gallos Montesquieu et Rousseau docuerant, partim cum iis sententiis, quae postea inter Germanos invaluerunt“

eique duas addit, alteram ex eodem studiorum genere:

„Quaeritur, quibus potissimum rationibus et argumentis Graeci philosophi ani-

morum immortalitatem demonstrare studuerint; qua expositione praemissa diiudicetur, quid de his argumentis statuendum sit;"

alteram vero mathematici generis hanc:

„Enucleetur theoria functionum, quae modulares nominantur, itemque in cohaerentiam eius cum theoria functionum ellipticarum inquiratur.

In eo igitur cives nostri elaborabunt et enitentur, ut sua studia conferant ad eius diei celebritatem ornandam, quae Octobrem mensem Borussis iam duplici nomine et clarum et gratum fecit.